
32
2 C
29



ANTI-THESIS

CONTRA

P. Fr. HYACINTHUM SERRY

Prim. Theol. Patav.
conantem

Pontificiam Infallibilitatem certis terminis circumſcribere.



AUCTORE

FRATRE ALOYSIO MARIA LUCINO

Ord. Prædic. Commiſs. Generali
S. OFFICII.

MEDIOLANI, Anno MDCCXXXVI.

Ex Prælis Agnelli SS. Inquiſitionis Typographi
Superiorum permiſſu.

ANTI-THESIS

CONTRA AUCTOREM CONANTEM

Pontificiam Infallibilitatem certis terminis circumscribere, ejusdemque propositi iteratam defensionem.

PRÆLUDIUM.



PErvenit ad manus quædam Dissertatio Apologetica nuperi Scriptoris Anonymi *adversus novissimum Privilegiorum Pontificiorum Vindicem, typis Bartholomæi Giavarinæ Venetiis publicata*. Videram eo inscriptam titulo: *Infallibilitatis Pontificiæ justis terminis circumscriptæ explicatio, atque defensio*. Typis Coloniensibus prostat: annum à mox elapso 1734. computat. His autem non contentus aliam currentis anni 1735. elucubrationem promulgat sub expresso nomine Fratris Hyacinthi Serry, in qua prioris Dissertationis molimina per iteratam defensionem explica-

re fusius ; atque urgere adpromittit . Quantum gaudii hauserim in promissa defensione Pontificii privilegii, eo tristius accepi in posterioribus verbis, ubi contenditur ad terminos eam coarctare. Justos equidem terminos assignare declarat; sed undenam petendi sint, nullus percipio. Quamobrem mecum pugnabat animus, an iteratis vindiciis Privilegium hocce Romani Pontificis ab invecta circumscriptione defendere necesse foret; vel Anonymum, & spectabilem Scriptorem ad editas vindicias remittere, ut ibi jam præoccupatas difficultates, & abunde enodatas inspiceret. Verum quia callide præfati tituli æquivocatio veritati plurimum obesse posset, hanc provinciam æquius amplectar, quo justiorem defensionem veritatis deposcit. *Puto* (ut scripsit (*a*) Augustinus) *nequaquam juste reprehendi ministerium nostrum, si contra quoslibet adversarios veritatis ferventi spiritu pro veritate certemus*.

§. I.

(a) Contr. Crescon. libr. 1. cap. 7.

§. I.

De disceptatæ quæstionis Cardine.

OMnino displicet indicata apologeticæ dissertationis analysis, qua declaratur infallibilitas Pontificia defensa & simul circumscripta. Neque juvat terminos justos nuncupare; quum nefas sit terminos, aut legem ponere auctoritati, quæ Christum tantum auctorem agnoscit. Ille Deus homo, qui dixit: (*a*) *Data est mihi omnis potestas*; Ille, inquam, indeficientiam judicii Petro concessurus fatus est: (*b*) *Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos*. Et alibi, idem Magister, & Dominus Jesus Pontificium, qua late patet, Petro elargiturus, ita eum alloquitur: (*c*) *Pasce agnos meos; pasce oves meas*. Pluribus vindex Pontificiorum privilegiorum ostendit tum rationum momentis, tum Patrum perpetua Traditione, allatos textus intellectos, & habitos esse pro concesso Petro, & successo-ri-

(a) Matth. 28. 18.
(b) Luc. 22. 32.
(c) Jo: 21. 15. 17.

ribus Romanis Pontificibus infallibilitatis privilegio, quum pro munere, & officio docendi universam Ecclesiam (quod idem est, ac ex Cathedra loqui) definitiones in Fidei, morumque materia pronunciant. Nullum consensum sive prævium, sive posteriorem involuit, aut explicat textus evangelicus: nullum postulavit Antiquitas, nullum quoque Patrum traditio exegit, adeo ut per mille & amplius annos ignoraverit Catholicus quilibet dependentiam hanc Pontificiæ, imo ipsius Petri infallibilitatis ab alieno consensu.

Ipsi Hæretici, etiam in æstu pervicacioris contentionis, independentem, & absolutam infallibilitatem Papæ professi sunt. Etenim Ariani Eusebianæ factionis, una cum Conciliabulo Antiocheno, totum conatum, laboremque impenderunt, ut oraculum unius Julii PP. ad firmandam eorum sententiam præiret. Eadem vi, & fraude usi sunt, ut unius Liberii constantiam vincerent: rati, securo otio triumphare non posse, etsi fere totus mundus, duce Constantio Imperatore, in Arianismum propenderet, nisi Pontifex Romanus indefectibilitatis pondus unice adjecisset.

Quor-

Quorsum tanta cura ? Quorsum tot studia , si a consensu Ecclesiæ veritas dogmatis inconcussa penderet ; vel firmitas judicii ab assensu alieno haberetur accepta , quum Papa pronunciat ? Noverant , velint , nolint , Hæretici Ariani pertinere ad Romanum Pontificem quæstiones de fide peremptorie definire , esto simul turpissime errarent , cogitantes , posse Papam hæresim , aut errorem ex Cathedra docere , & Arianam probare perfidiam . Et Liberius sibi probe conscius , nullatenus debere sive consilium , sive consensum , sive definitionem Concilii Ariminensis sequi , restitit petitioni , & illorum Patrum subscriptioni strenue est refragatus .

§. II.

Evasio præcluditur ;

REspondet Auctor eruditus (*a*) hæc omnia superius dicta , & jam ad satietatem vindicata , vehementer dignitati , auctoritatique Romanorum Pontificum plurimum laudis afferre , sed re æquius per-

(a) Pag. 63.

ſpecta, plus incommodi creare, projectique adulatoris ſpeciem illum induere, qui jura Pontificia, ac privilegia nullis, quos ratio poſtulat, limitibus circumſcribat.

Pudet probrum referre, quod eo maximum eſt, quo totam Romanam Eccleſiam appetit. Illam quidem Eccleſiam, quæ jura, ac privilegia Romani Pontificis profitetur, & pro aris, ac focis defendit, atque vindicat; quæ ut a Chriſto donata, ut in evangelico textu expreſſa, ac deſcripta amplectitur, mox præpoſtera intemperantium hominum commentaria dejiciunt, enervant; quæ cenſuris, atque proſcriptionibus theſes, libros, & codices lædentes Pontificiam auctoritatem, vel attenuantem, una cum auctoribus perſtringit, ferit, profligat: quæ infallibilitatem Papæ ex Cathedra pronunciantis abſolutam agnoſcit; independentem ab alieno aſſenſu, ex neceſſitate abſoluta quæſito, eſſe vult, & deprædicat; illam Eccleſiam adulationis crimine onerat, quam ipſe participem Pontificiæ infallibilitatis facit, atque decantat. Quidni quoque hanc noxam affingat ſacro Textui; Patrum Traditioni, ſacratiorique Vetuſtati, quæ omnino

no

no nescivit terminis circumscribere indefectibilitatem Petri in judiciis ex Cathedra?

Ut ut sit: *Adulatio est fallaci laude seductio:* (*a*) teste Augustino, Idcirco falsa veris immiscendo deceptoria blandientis lenitudo se prodit, Agedum; ubi vel ex qua parte cubet fallacia, deceptio, falsitas? Ad ulteriora procedamus,

§. III,

De adversantis intentionis argumento;

APprobat Auctor in verbis Christi Domini: (*b*) *Rogavi pro te, ut non deficiat fides tua*, quibus infallibilitas judicii Petro data creditur, nullam conditionem adjunctam legi, alienum consulentium consensum explicantem, Verum contendit, conditionem hanc omnino subintelligendam esse, quemadmodum in altero ejusdem Christi promisso Petro dato, per verba: *Tibi dabo claves* solvendi quodcumque super terram, ut sit solutum, & in cœlis, non proinde absque conditione intel-

(a) Libr. 50. Hom. Hom. 20. c. 1.
(b) Pag. 48. n. 3. Et in iter. def. pag. 95. Et pag. 106.

telligendum esse, sed præhabitis in pœnitente dispositionibus necessariis ad fructum clavium percipiendum.

Apta sane paritas ad destruendum arguentis intentum. Vel ipsis Ethnicis patet, peccata non deleri nisi per pœnitentiam. Vel pueris compertum est, remissionem peccatorum postulare eorumdem detestationem. Nil ferme explicatius, nil frequentius in sacris litteris, quam illud oraculum Jeremiæ: (a) *Hæc dicit Dominus Deus: Si converteris, convertam te.* Nil abundantius in Evangelio prædicatur, nisi illud: (b) *Pœnitentiam agite*; & illud Christi; *Si pœnitentiam non egeritis, omnes simul peribitis.* Et hæc est conditio abscondita, & implicita in data Petro facultate solvendi super terram, ut sit solutum, & in cœlis? Quod adeo perspicuum est, ut ipse Dominus Jesus edocens discipulos super usu parabolarum, dixerit: (c) *Vobis datum est nosse mysterium Regni Dei; illis autem, qui foris sunt, in parabolis omnia fiunt; ut videntes videant, & non videant: & au-*

(a) Cap. 15. 19.
(b) Marc. 13. 6.
(c) Marc. 4. 11.

& audientes audiant, & non intelligant: nequando convertantur, & dimittantur eis peccata.

A contrario fluit nitide argumentum. Si constat, conditionem pœnitentiæ dispositionisque peccatoris ad obtinendam remissionem culpæ, injectam fuisse in data facultate Petro solvendi super terram, & in cœlis, cur adjicienda est conditio omnino arbitraria requisiti assensus, consiliique alieni a verbis Christi donantis Petro infallibilitatis privilegium; quum nullibi neque in veteri, neque in novo testamento vestigium, vel minimum appareat, neque antiquitas, neque Patrum traditio hucusque subodoraverit?

§. IV.

De eadem evasione,

IGitur si nullis conditionibus simpliciter necessariis infallibilitas a Christo Petro donata proditur; quid reliquum est, inquit Auctor eruditus, (*a*) nisi ut infallibiles etiam dicantur Pontifices, ubi forte judicium de fide tulerint dormitantes, aut somniantes?

Non

(a) Pag. 49.

Non ſequitur illatio! Abſit a viro docto fallacia. Infallibilitas Prophetarum in prænunciandis futuris; infallibilitas Apoſtolorum in prædicatione veritatis; infallibilitas Evangeliſtarum in ſcribenda evangelica hiſtoria, & infallibilitas Papæ in definiendis rebus fidei, & morum ex Cathedra, habent Deum auctorem; adeo ut ſi defectus quiſpiam erroris, vel mendacii obreperet, idem delinqueret. Decet quippe omnium unum Paſtorem omnes oves paſcere indefectibili doctrinæ pabulo, uti potiſſime præſtat loquendo ex Cathedra. Porro Theologis compertum eſt, hujuſcemodi lumen, ſive afflatum, ſive ſpecialem Spiritus Sancti adſiſtentiam explicet, eſſe donum tranſiens, non permanens, ut de ſchola loquimur; quod proinde ſapientia Altiſſimi dirigente confertur, opportune, pro loco, tempore, & occaſione, quibus Deus vult. Ludicra itaque calamo circumponere, nempe an Pontifices dormientes, vel dormitantes infallibilitate abſoluta a qualibet conditione gaudere potuerint, nil aliud eſt, quam Deum auctorem blaſphemare, ac irridere. Hoc unum pro irrefragabili doctrina habendum eſt, nimirum

ſi Pon-

si Pontifex ex Cathedra docens erraret, in Deum auctorem error recideret, quod plane impossibile est. Ita de Prophetis, ita de Apostolis, ita de Evangelistis dicendum esset. (*a*) *Defecerunt scrutantes scrutationes*. Et de his satis.

§. V.

De Magistro Cano.

AD probationes assumpti mox descendit eruditus Auctor (*b*) contendendo; Pontificiam infallibilitatem tunc tantum haberi, explerique, dum Pontifex præmissa Ecclesiæ Romanæ, Peritorum, Sapientum, ac maxime S.R. E. Cardinalium, nunc Clerum ejusdem Ecclesiæ constituentium, Consultatione, habitoque consensu, in materia morum, & fidei, ex sacro tribunali pronunciat. Quod adeo necessarium simpliciter autumat, ut si absque præfata conditione, vel medio judicium ferat, fallibilitatis periculum Pontifex subire cogatur. Plures Doctores illustrioris notæ in hanc conspirare sententiam recenset,

(a) August. tract. sup. Psal. 63. v. 7.
(b) Pag. 8. Et in iter. defens. art. 1.

ſet, & primo profert in medium eximium Theologum Melchiorem Canum, (*a*) de cujus auctoritate in præſentiarum erit ſermo.

Unum hærere in mente neceſſe eſt, me nunquam inficiari, aut inficiaturum officii, & muneris Romani Pontificis eſſe, ut omni cura, ſtudio, ac diligentia adhibita, & præhabita de re definienda, judicium diſcretivum agitet, & præmittat, ut ſerio, diligenter, & humana ratione, ac via, de controverſia examinata, judicium finale definitivum prodeat. Sed difficultas ſuborta in eo ſiſtit, an ad hujuſmodi examen cogatur Pontifex neceſſario Conſiliariis uti, & peritorum conſultatione, ne incertum, & fallibile judicium proferat: vel id tantum ad convenientiam ſalubrius deſideretur, adeo ut ſi Pontifex per ſeſe præſtet quidquid ad enucleandam difficultatem opus eſſe perceperit, infallibilis ponderis ſententia, ac definitio evadat. Hoc ſecundum adverſus Auctorem eruditum tota contentione virium propugno.

Nunc ad ſententiam Magiſtri Cano deveniam. (*b*) Propoſuerat opinionem ali-

(a) Libr. 5. de loc. Theol. c. 5.
(b) Loc. cit. §. Item.

alicujus dicentis, dubiam, & incertam fore definitionem Papæ, sive Concilii, nisi constet nobis adhibitam fuisse diligentiam, ut via, & ratione procederet inquisitio. Deinde placitum quorumdam recitans, ait: (a) *Sunt etiam, qui non obscure dicant, quod si quando Romanus Pontifex, in definitione fidei, erravit, inde evenire potuit, quod non tantam, quantam debebat, adhibuit diligentiam, antequam sententiam proferret: quod vel rem non examinavit, vel non eos, quos oportebat, consuluit. Quibus si objicias, Apostolicam Sedem errare in fide non posse; fatentur id quidem; sed ajunt, Sedis Apostolicæ nomen non solum Summum Pontificem significare, sed ipsum, ut facit ea, quæ ad Cathedram spectant: hoc est, quatenus non ex suo, sed ex consilio bonorum virorum, & doctorum procedit: ita Sedis Apostolicæ judicia intelligi, non quæ occulte, malitiose, inconsulte per solum Romanum Episcopum, aut etiam cum paucis sibi faventibus proferuntur; sed quæ ab eo ex consilio plurimorum virorum sapientum, plene prius re examinata, prodeunt.*

En opinio aliquorum a Magistro Ca-

(a) Loc. cit. §. Alter.

no recitata ; neutiquam probata, ut mox constabit. Eam Silvestri scrupulum vocaverat, dicens : (a) *Alter vero scrupulus ita Silvestri animo resedit, ut vix eum pellere potuerit*. Et hunc scrupulum fastidiens Cano statim subjicit. *Meliusque fuisset occulere, quam stimulare cæteros, quo ipse scrupulo pungebatur*. Hæc valde notanda sunt, & conferenda cum iis, quæ infra de placito Silvestri recolenda erunt.

Cano celeberrimus confestim scrupulum ab inconvenienti disjecit, ac repulit, inquiens : *Quamobrem qui sive Pontificum, seu Conciliorum diligentiam fidei causa finienda in dubium vocant, eos necesse est omnia Pontificum judicia, ac Conciliorum infirmare*. Et adeo absurda visa est Cano hæc opinatio, ut infra animadverterit : (b) *Ac si semel Hæreticis hanc licentiam permittimus, ut in quæstionem vocent, num Ecclesiæ judices eam diligentiam, & curam exhibuerint, qua opus erat, ut quæstio via, & ratione finiretur : ecquis adeo cæcus est, qui non videat, omnia mox Pontificum, Conciliorumque judicia labefactari ?*

Plu-

(a) Loc. cit. init. cit. §. Alter.
(b) §. Itaque.

Pluribus male ſanam opinationem exagitat, & evertit Cano exclamans: *Quid? Quod ſi ſemel de diligentia Judicum dubitamus, novum examen, judiciumque ſemper recens poſtulabitur, ut de diligentia adhibita, vel non adhibita cenſeatur?*

Igitur opinatio; quæ arridet erudito Auctori, diſplicet Cano, & ſapienter eam ut abſonam rejicit, ac reprobat.

Explicat deinde Magiſter Cano ſententiam ſuam, dicens: *Nos igitur ſcrupulum illum poſteriorem, ſi cui infixus eſt, aliter ex animo evellemus. Nam Deus ſuaviter diſponit omnia, ſimulque proſpicit, & finem, & media... Itaque præſtat ſemper Pontifex, quod in ſe eſt, præſtatque Concilium, cum de fide pronunciant; caditque cauſa, ſi quis ex noſtris aliter exiſtimat. Quemadmodum enim, ſi Chriſtus Petro diceret, ego rogavi pro te, ne deficiat caritas tua, certo certius intelligeretur, diligentiam, curam, vigilias, preces, cæteraque auxilia opportuna illi impetraſſe, quæ ſunt ad caritatis conſervationem neceſſaria; ita cum dixit; ego rogavi pro te, ne deficiat fides tua, proculdubio intelligimus id a Patre ſuo conſequutum, ut quæ ad rectum de fidei*

quæstione judicium oporterent, ea adessent Petro omnia, sive a Deo, sive ab homine expectarentur.

His posterioribus verbis tota res conficitur. Nimirum vel a Deo tanta sapientia donata est Pontifici, ut proprio studio, ac labore verum a falso in proposità quæstione discernere valeat; vel tali prudentia erit ex alto præditus, ut peritorum consilium sollicitare satagat. Quamobrem potuit, & optime, Leo Magnus per se ipsum Epistolam dogmaticam adversus hæresim Eutychianam condere, quæ ut infallibilis veritatis oraculum accepta est in Concilio Chalcedonensi. Ergo aliena consultatio peritorum, sive assensus nequit esse de necessitate simpliciter ad ferendum judicium definitivum in fidei causa.

Laudat quidem Cano necessitatem adhibendi consilium, & expendendi utriusque partis argumenta, tam respectu Papæ, quam respectu Concilii, sed necessitatem illam nunquam stricte absolutam, & simpliciter talem agnoscit. Siquidem profert exemplum statim (a) de Concilio Jerosolymitano Apostolorum, ubi inter eosdem Judices magna conquisitio facta est:

(a) Loc. cit. § .Nam & Apost.

eſt: item de Concilio Nicæno, ubi Patres nullo de foris conſulente per ſe ipſos Arianam hæreſim profligarunt, & Catholicam veritatem conſtabiliverunt. Quumque ſapientibus Judicibus conceditur, etiam per ſe ipſos tantum, decretorium judicium diſquirere, & dicere; & cur denegabitur hoc idem Leoni Magno, Gregorio Magno, alterique ſapientiſſimo Pontifici, qui fortaſſe quoslibet peritos ſcientia excelleret?

Hæc fuit ſententia Magiſtri Cano, quam ipſe eruditus (*a*) Auctor ſemper coluiſſe, & complexum eſſe enunciat. Quumque non prioris opinionis, ſed hujus poſterioris Cano ſit auctor, mirari ſubit, cur ille in reprobatam a Cano opinationem deflectat. Sed utinam veſtigiis tanti Magiſtri inhæſiſſet, quia certo certius nunquam dixiſſet, Papam eſſe fallibilem, ſi deſit Eccleſiæ Romanæ, hoc eſt Cardinalium S. R. E. conſenſus; neque uſquam infallibilem hanc Eccleſiam Romanam ſpecialem proclamaſſet; conjudicemque pronunciantem cum Papa definiti dogmatis, contra Canum, ſtrenuum infallibilitatis,

(a) Pag. 44.

Pontificiæ defensorem, ac vindicem, unquam protulisset.

§. VI.

De Magistro Silvestro Prierate.

PLura expendenda occurrunt in auctoritate Prieratis, quam objicit eruditus Auctor. Non diffiteor doctorem hunc in eo esse sensu, (a) Pontificem Romanum tunc infallibilitate judicii gaudere, quum agit ut Caput Ecclesiæ, scilicet, quum utitur membris suis procedendo ex peritorum consilio, sive Mitrati sint, sive Galerati, vel neutrius sint conditionis. Laudat tamen, si Papa utatur Cardinalium consilio. Hanc igitur consultationem necessariam esse Silvester censet, quia inquit: (b) *Papa, ut Papa ex officio suo agens false determinare non potest propter assistentiam Trinitatis, & idem de Concilio cum Papa*. Sed an velit hanc necessitatem esse absolutam, incertum, ut hic & alibi ostendam.

Ad-

(a) In Summ. V. Concil. & tract. de irrefrag. ver Rom. Eccl. cap. 15.

(b) Tract. cit. c. 16. § non obstat?



Admitto supremum Principem debere in regimine habere assidentes, & Consiliarios, quibus uti possit nedum in arduis, sed etiam in minoribus negotiis, quia pluribus distractus impar sit ad singula. Pariter admitto de jure Capitis esse, posse uti membris suis, prout justitia postulat, in ordine ad finem, qui est bonum totius corporis; & admitto, quod ubi major est arduitas, & difficultas in judiciis, cæterisque occupationibus, tunc magis, ac magis urget necessitas habendi assidentes, & arcessendi Consiliarios. Hæc omnia contingunt passim in quocunque, recto, & ordinato regimine, & maxime Sedis Apostolicæ, *cujus sententia tanta semper consilii moderatione concipitur, tanta patientia, & maturitate decoquitur, tantaque deliberationis gravitate profertur, ut nec immutari necessarium ducat; nisi forte sic prolata sit, ut retractari possit, vel limitari:* inquit (*a*) Gregorius Magnus,

Potiori necessitatis vi id incumbit Principi, qui ad veritatem intelligendam minus fuerit idoneus; & fortius, si de re fidei, quæ non est, neque esse potest re-

(a) Can. Apostolicæ 35. quæst. 9.

tractabilis, & mutabilis, supremum Judicem controversiarum agere sit opus.

In prædictis Silvestro acquiesco. Sed quod ulterius cogatur supremus Judex sub pœna incertitudinis, vel nullitatis judicii, in quocumque actu assidentes adhibere, & aliorum consilium exquirere, etiamsi sit Judex sapientior, & excellens, diligens in labore, & studio paratus, ac promptus ad difficilia dirimenda, & accommodatissimus, ut re, quam capessit, optime perfungatur; neque probat, neque intendit eruditissimus Silvester. Verbo. Nunquam Silvester dixit Papam non esse infallibilem, nisi utatur consulentium ope, neque hanc conditionem esse necessariam simpliciter pro infallibilitate ejus judicii, unquam probavit, aut confecit. Nunquam de Pontifice undequaque doctissimo, nunquam de Pontifice præstantissimi ingenii, qui quoslibet Consiliarios docere possit, nunquam de Magno Leone, nunquam de Magno Gregorio, nunquam de alio, de quo dici possit: *Ecce plusquam Salomon hic*, est unquam loquutus, vel quæstionem instituit; certius in oppositam abiturus sententiam, si id excitasset.

Ita

Ita res rebus junctæ facile committuntur. Nimirum & quod in potestate Capitis sit uti membris totius corporis; & quod sit ei liberum illis uti, ubi maxime agitur de judicio, quod proprium est opus mentis capiti insidentis. Hæc potest esse excellentior præ cæteris dono consilii ex alto prædita, quin coacta sit ex necessitate absoluta aliorum consultationem expostulare. Concedo id infrequentius contingere, sed mihi satis est exemplo Sancti Leonis insistere, proprio labore, ac studio scribentis Epistolam dogmaticam infallibilis veritatis contra Eutychem, ut expuncta abunde agnoscatur necessitas absoluta, & simpliciter alienæ consultationis; adeo ut aliter definientem Pontificem cogamur dicere fallibilitatis vitio laborare, vel laborasse; quod summum piaculum foret vel de Magno Leone suspicari.

Consentiunt quoque Canones a doctissimo Silvestro producti, quibus se totum dedit, nempe Can. *Apostolicæ*, jam supra relatus, & cap. *Venerabilem* ex Innocentio III., ubi (*a*) Deuteronomii verbis relatis, statuitur lege veteri a Deo de-

(*a*) Deut. cap. 17.

decretum fuisse obsequendi sub pœna capitis judicio Sacerdotum Levitici generis in emergentibus causis, *inter sanguinem, & sanguinem, causam, & causam, lepram, & lepram.* (Ecce assidentes, en Consiliarii, Innocentio teste) deinde subdit textus: *Qui autem superbierit nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, & decreto Judicis, morietur homo ille.* Verba hæc nihil cogunt pro sententia, quam impugnamus. Possunt adesse assidentes, & Consiliarii, & multi Judices, quibus piaculum sit refragari: sed etiam adest supremum Summi Pontificis imperium absolutum ab aliena consultatione, cui nefas sit obsistere. Aliter superfluum fuisset distincte loqui, & de judicio Sacerdotum Levitici generis, & de judicio summi Sacerdotis pro tempore ministrantis Deo in arcano Sanctuarii.

Confirmat omnino sententiam motum dubium ab eodem Silvestro, (*a*) nempe dissidentibus Patribus unius Concilii, cui debeat Pontifex pro suo officio assentire? docetque neutri standum, sed accersitis aliis Consiliariis, cum istis litem esse di-
ri-

(a) Tract. cit. cap. 16. ad 4. punctum.

timendam: quia tunc ex alto lumen pro veritate certissime aderit. In casu tres consultationes fortasse oppositæ de re valde difficili occurrere possunt, & æque pugnare in mente Pontificis. Tunc alteri adhærens, nonne ex proprio infallibilitatis privilegio certissimum profert oraculum? Nonne per se se veritate comperta ex promissa Spiritus Sancti adsistentia, contingere poterit, expetitam consultationem, despicere, & secundum alterius partis Patrum Concilii, etsi fuerit unius tantum contradicentis, judicium decretorium ferre? Nonne sermo his principiis instructus, momentisque vallatus aptius, & justius evangelicis congruit verbis: *Pasce oves meas*: *confirma fratres tuos*; unde origo infallibilitatis in Petrum fluit quam cæteris interpretationibus, ex ingenii dumtaxat acumine, effossis, & firmiori traditione destitutis?

Si autem hæc doctrina a scopo Magistri Silvestri deflectat, libentissime & ipse a Silvestro deflecto; cavens quam maxime, ne censura sapientissimi (*a*) Cano, alias relata, de eadem concertatione loquen-

(a) Libr. 5. de loc. Theol. cap. 5. §. Alter.

quentis me perstringat. Verba sunt: *Alter vero scrupulus ita Silvestri animo resedit, ut vix eum pellere potuerit. Meliusque fuisset occulere, quam stimulare cæteros, quo ipse scrupulo pungebatur.*

Quo ad factum Anastasii Papæ Acatio communicantis erravit Silvester, neutiquam Anastasius, ut egregie evincit Cardinalis a Turrecremata. (*a*) Qui hallucinatur in probationum momentis, plane in themate hallucinatur, & male instructam causam ob defectum rationum propinat; ut infra latius patebit.

§. VII.

De Cardinali a Turrecremata.

AMplissimum Cardinalem de Turrecremata auctorem integrum, & coævum schismatis Basileensis, in suæ opinationis præsidium adsciscit (*b*) eruditus Auctor. Auctoritas, sive argumentum procedit ex tract. de potestate Papæ, (*c*) ubi inquirit, quid nomine Judicii infallibilis Sedis Apostolicæ intelligendum sit. Censet proin-

(a) Cap. 92. ad 8. obicat.
(b) Pag. 19. in iter. def. pag. 38. (c) Cap. 112. ad 6.

proinde sententiam in judicio a Romano Pontifice prolatam eam esse: *Quæ maturo, & gravi virorum Sapientum, & maxime DD. Cardinalium consilio primo digesta, & maturata sancitur, & profertur* ... Quibus omnibus consideratis, concludit *sine dubio tenendum est hoc, quod de Apostolicæ Sedis judicio dictum est; videlicet, quod in his, quæ fidei sunt, deficere non possit*. Prius dixerat. *Non eam sententiam esse, quæ occulte, malitiose, aut inconsulte per solum Romanum Pontificem, aut etiam quæ per ipsum cum paucis sibi faventibus, aliis in fraudem non vocatis, ad partem profertur*. Hæc summa objectæ auctoritatis.

Verum exulat prorsus ab hac sententia necessitas illa simpliciter talis alienæ consultationis ab erudito viro invecta. Nihil enim inducit Cardinalis de Turrecremata de possibili eventurum in casu, quo Papa pari, ut opus est, sapientia, ac prudentia præditus, proprio labore, ac diligentia utens absque aliorum peritorum consilio decerneret. Quod mox evincam. Item eximius Cardinalis agens de Conciliis sermonem instituit: (a) *De iis, a qui-*

(a) Tract. de Concil. cap. 27.

quibus cavendum est in Conciliis. Decem enumerat inconvenientia prorsus indigna maturitate Conciliorum, in quibus potiora a Pontifice eliminanda recensentur, quin infallibilitatem universalis Concilii vulnerare prætendat. Item inquirit: (*a*) *Qui admittendi sint ad Concilium universale, & qui non*? Præcedenti cap. (*b*) laudaverat consiliarios Doctores in divinis & canonicis decretis vocare, & adhiberе, sed nullatenus id esse simpliciter necessarium dixit, & exemplis comprobavit. Hinc validum argumentum confluatur. Si plenario Concilio, Judicibusque in eo sedentibus non est necessarium simpliciter de foris consultationes exquirere ad judicium ferendum, quum ipsi per se se valeant, & controversias expendere, & finaliter decidere, esto sæpe id congruum, & convenientissimum visum fuerit, consiliarios scilicet admittere, ut in Tridentino, aliisque præcedentibus Conciliis actum est; cur necessitatis hujus vinculum fas erit injicere summo omnium Capiti Romano Pontifici; a quo ipsa Concilia auctori-

(a) Cap. 15.
(b) Cap. 14.

ritatem, & robur expectant, adeout ad has incitas sententiam Cardinalis conspicui coarctare necesse fuerit?

Id vehementius contendo; quoniam ipsemet spectabilis a Turrecremata necessitatem simpliciter cogendi Concilium rejiciens, libertatem Pontifici relinquit illud convocandi, prout ratio, & temporum circumstantiæ urgere possunt. Et tamen ab initio exemplum Petri nos docet, Concilium Jerosolymis habitum esse ad dirimendam obortam controversiam circa legalium observantiam. Ubi autem Concilii necessitatem abjicit, præeunte exemplo adeo splendido, nunc credendus est acerrimus propugnator. necessitatis simpliciter utendi consiliariis, qui inter Rectores Ecclesiæ ab Apostolo non numerantur? Illud medium (*a*) cogendi Concilium, utile quidem, sed non esse necessarium simpliciter asserit, hoc autem medium utendi consulentium ope, & suffragio adeo necessarium omnino reputabit vir Purpuratus in Romano Pontifice, ut si escludatur, Pontificiam infallibilitatem periclitari censuerit?

Ad

(a) Cap. 9. & 10.

Ad hæc. Quærit (*a*) Cardinalis laudatus, a quo immediate auctoritas Conciliorum proficiſcatur, ac pendeat: decernitque eorum auctoritatem a Pontifice Romano proxime deſcendere. Quare? Quia ſolus Papa eſt Caput totius Eccleſiæ, cui jure competit membra regere, ſenſumque omnem, & motum ei præbere, ac influere; & quia eſt ſolus Paſtor totius Eccleſiæ, ad quem ſpectat *providere, & dare pabulum toti Eccleſiæ, quod ſit in univerſalibus Conciliis diſponendo, ordinando, conſtituendo, corrigendo, diffiniendo, interpretando*. Verbo. En medium, unde in Eccleſiam derivat ſollicitudo Paſtoralis, & Capitis providentia.. Attamen, teſte de Turrecremata, hoc medium non eſt ſimpliciter neceſſarium ad excelſi capitis veritatem in Papa, eſto (quod plus eſt) membra ad Concilium vocata potiori jure, quam quilibet Conſiliarius ſimplex, Pontifici adhæreat. Igitur ſi integrum Concilium non arctat, neque cogit Papam, ut Concilio utatur; quomodo Purpurato auctori tribuendum erit, conceſſiſſe conſulentibus, ac peritis abſolutam neceſſitatem,

(a) Cap. 28.

tem, ac jus quasi quæsitum, ut sine illis nihil validum, & certum definire Pontifex possit?

Iterum cum Magistro Cano, nec refragante Cardinali de Turrecremata, adversantes redarguam dicendo: dat, & dabit Deus Pontifici, & finem, & media sive a Deo, sive ab homine descendant, quin absolute necesse sit, ea unice ab homine expiscari, vel per consilium expectare. Sit congruum, sit conveniens, sanctum, & sanum illud petere, sed abeat longe necessitas absoluta illud petendi, aut illo utendi, ne lata porta refractariis aperiatur, disceptandi scilicet de adhibita, vel non adhibita diligentia, ut superius ex Cano monuimus.

Itaque *directive*, hoc est ad melius esse, loquutus est illustris Cardinalis pro casibus frequentius occurrentibus, neutiquam cogendo ex necessitate Pontificem sub pœna, ne privilegio infallibilitatis exutus definitionem fidei pronunciet. Patet insuper, quia doctissimus Purpuratus non aliud argumentum profert, quam Cap. *Apostolicæ Sedis* jam superius descriptum, in quo nec verbum quidem conjicere est,

pro

pro necessitate absoluta alienæ consultationis. Sed de his infra.

§. VIII.

De Rodulpho Cupers:

PLacet Auctori erudito prodere Rodulphum Cupers, (*a*) veluti suæ opinationis strenuum propugnatorem; quod an verum sit, hic erit discutiendum. Adlaborat Cupers probare: (*b*) *Juris esse divini, quod Cardinales assistant Papæ ope, & consilio:* ideoque *Ecclesiam habere Senatum ad majores causas judicandas, ex divina institutione; eumque Senatum esse partem ipsius Ecclesiæ, vel potius Ecclesiam ipsam esse repræsentatam in Cardinalibus*. Quibus jactis infert Cupersius, seu probare intendit: *Pro constanti esse sentiendum, oportere Papam consilia Cardinalium requirere: stante maxime, quod claves Petro commissæ duæ fuerint, una scilicet potestatis, alia discretionis*.

Hæc Cupersius; sed nihil ad causam eruditi Auctoris, a quo enixe peto, ut ocu-

(a) Pag. 28. §. V. & in iter. def. pag. 56.
(b) In Comment. ad c. oportebat. 79. diss. tract. de SS. Univ. Eccl. art. 2.

oculum referat ad capitula initio tractatus explicata, ubi conjiciet aliter Cupersium intendere, atque docere, ac sibi fingit vir eruditus. Protinus me expediam sequenti Commentario ad verba Cupersii.

In præludiis ad citatum tractatum explicat, (*a*) quid intellexerit docendo, Ecclesiam *jure divino* habere Senatum, aitque, Concilia *de jure divino* esse instituta, & Cardinales itidem eodem Jure constitutos fuisse; quatenus scilicet id potest dici Juris divini, quod *figuratum* reperitur in lege veteri, & *exemplatum* in novæ legis Ecclesia: ex quo latissime Jus divinum Cupersius interpretatur. Cumque viderit Moysi assidentes Judices, & Seniores a Deo destinatos, ita Senatum, vel Concilii, vel Cardinalium jure quoque divino, latius accepto, vel potius ad instar divinæ institutionis in data lege Moysi, perfectum existimat.

Munus Cardinalium esse assidere, & juvare Pontificem ope & consilio, nemo inficiatur.

Oportere Papam consilia Cardinalium requirere, bene est, bonum, expediens

 est,

(a) Argument. §. alio.

est, sed verbum *oportere* solum, vel nunquam, vel raro necessitatem simpliciter significat; neque in casu praesenti eam significare poterat, quum incertum sit, quo saeculo Cardinalium nomen, & opus invectum fuerit.

Itaque quemadmodum non obstante institutione divina Concilii, vult Cupersius, liberum esse, & semper fuisse Pontifici, illud cogere, & illius ope, & consilio uti; ita liberum relinquit eidem, uti ope, & consilio Cardinalium. Nec quidquam a Cupersio ulterius quispiam emunget. Nunquam enim comminatur Papae aliter agenti infallibilitatis jacturam. Etiam. Sentit (*a*) laudatus Auctor, posse Papam in casu dissidii inter Patres integri Concilii neutri suffragrari, sed vel aliam inire sententiam, vel suspendere judicium, donec in suam traxerit partes dissidentes sententiam. Haec nedum gestiunt superiorem Papae auctoritatem Concilio, sed absolutam quoque a judicio, vel consilio, universalis Synodi. Ecquis deinde fecerit Cupersium sibi contrarium, ut deinde velit Papae auctoritatem illigatam suffragio inferiorum consulentium? Di-

(a) Art. 2. post. praelud.

Dignum est etiam animadversione, Cupersium velle, conarique probare adesse Jure divino Senatum, quem stabile virorum sapientum selectum Collegium nominat. Silvester vero hunc Senatum permanentem pro necessaria Consultatione non requirit; contentus, ut quibuscumque peritis libere Papa uti possit. Ergo vel unus, vel alter, vel uterque fallitur. Ubi est enim probabilitas opinationis, quæ iter prætentat absque constante principio? Quocirca necesse est ambos interpretari loquutos citra necessitatem simpliciter, & absolute talem, & de Jure divino exemplato, quod nihil cogit.

§. IX.

De Joanne Driedo.

PRoducit in medium eruditus (*a*) Auctor Joannem Driedo, tamquam assertorem absolutæ necessitatis, qua Papam vult adstringi ad præviam consultationem habendam cum peritis ante fidei definitionem: quia scripserat: (*b*) *Unde & sen-*

(a) Pag. 27. §. IV. & in iter. def. pag. 51.
(b) De libert. Christ. l. 2. c. 2.

tentia Papæ circa fidem tanta consilii moderatione concipi debet, tantaque maturitate patientiæ decoqui, & tanta deliberationis gravitate proferri, ut omninò recta sit credenda. Hæc abunde in præcedentibus explicata sunt, & maxime §. VI. Pergit Driedo. *Verum quia Papa quatenus homo talem modum deliberationis, circa ea, quæ sunt fidei, potest omittere, & inniti proprio sensui, propriæque prudentiæ, idcirco etiam plerumque liceret examinare literas mandatorum Papæ definientis aliquid credendum esse, aut fide tenendum*. Hactenus Driedo obiter rem attingens.

Sermo æquivocatione plenus est. Si enim, ut homo mendax potis est diligentiam necessariam præterire, tunc neque potis est rem de fide definire; quia tunc agit, ut homo privatus, cui non est collata infallibilitas judicii. Sed quando intelligitur, ut homo Papa ex officio definiens, tunc implicat posse definire, ut est homo mendax, non præhabita vel per se, vel per alios, ea diligentia, quæ satis sit ad veritatem intelligendam. Primum videtur Driedo respuere, quum passim doceat, esse Pontifici obediendum, utpote om-

omnium Paſtori a Chriſto dato . Igitur ſecundum ampleɛtitur : nimirum, ut *proprio ſenſui, propriæque prudentiæ* non innitatur ; ſed ſtudio Sacræ Scripturæ, traditionique Eccleſiæ, quod præſtitit per ſe M. Leo, nec præſtare poterat excellentius .

Hinc duo abſurdiſſima ſequuntur . Vel liberum facit plebi, & ovibus poſt latam definitionem dubitare de adhibita, aut non adhibita diligentia, (quod etiam reſpectu Concilii plenarii evenire poteſt) & tunc ſive pronunciet ut Papa, ſive ut homo ; ſemper incerta erit fides . Vel liberum adhuc relinquit plebi examen, & judicium ſuper re definita ; & tunc jus erit cujuſcumque credere, vel non credere, donec ſibi conſtet de veritate, aut falſitate judicii . Utrumque amplexus eſt Lutherus ad maledicendum Tridentino Concilio, & utrumque abhorruit Driedo exprobrans Luthero vafritiem .

Ut autem errorem adeo ſupinum avertam ab eximio doctore, reſpondere oportet, nil aliud permittere, quam examen de falſitate, aut de veritate editi diplomatis, neutiquam rei definitionis . Quamobrem expreſſe dixit : *Ple-*

rumque liceret examinare literas mandatorum Papæ!

Cæterum ad rem noſtram nihil agit Driedo; an Papa poſſit per ſe ſe omnes illas diligentias explere, quas labore conſulentium peritorum comparare valeret, de quo eſt præſens diſcuſſio. Quo admiſſo nequit Driedo adimere judicanti Pontifici debitum infallibilitatis privilegium.

§. X.

De Stanislao Cardinali Hoſio.

STanislai Cardinalis Hoſii teſtimonium arridet (*a*) erudito Auctori. Scripſit ille; (*b*) *Beati Doctores, ſi non iiſdem verbis, iiſdem tamen ſententiis, multis in locis, concorditer adſtruxerunt, hæreticum eſſe omnem hominem, qui a Romana, & Univerſali Eccleſia in fidei doctrina diſcordat. Sic ante* 400. *& amplius annos hæreticum pronunciavit, quicumque diverſum ab Eccleſia Romana docuiſſet. In qua quidquid gravioribus de cauſis, fidei præſertim decernitur, non eſt exiſtimandum, quod ſolus ſit Julius*

(a) Pag. 29. §. 6. & in iter. deſ. pag. 59.
(b) In Confeſs. Cathol. fid. c. 28.

lius V. G., aut Pius, qui decernat, ut errare tamquam homo possit. Habet ille, sicut Cyprianus loquitur, florentissimum Clerum secum una præsidentem, singulari doctrina præstantem, de cujus consilio, siquid gravioribus de rebus, præsertim de fidei caussis decernit, labi, & errare non possit.

Quid inde extundat vir eruditus, nempe ut Pontificem cum Clero suo, vel cum Cardinalibus illum repræsentantibus, necesse sit judicare, si infallibiliter judicare voluerit, non video. Etenim olim judicabat Papa cum Synodis, & in urbe, & extra. Judicavit in Synodis generalibus absque consilio Cleri Romani. Igitur Purpuratus vir non potuit Pontificiam indeficientiam unice referre ad consilium Cleri. Ratio, cur nomina Julii, & Pii expresserit, ea est, quia Augustanam Confessionem confutandam suscepit per Confessionem Catholicam ibi adornatam. Illa impetebat Pontifices, qui operam impenderant ad promovendum, & absolvendum Tridentinum Concilium. Ista arrogantiam hæreticorum frangebat. Satis fuit Hosio nonnullos Pontifices illius temporis recensere, & morem tunc prævalentem in judi-

cio ferendo innuere . Sed an ſemper, & ubique hic mos invaluerit, & neceſſe ſit ſimpliciter obſervare, neque dixit, neque ſomniavit illuſtris Hoſius, & extra rem erat inquirere. Nihil ergo evincit eruditus Auctor ex allato teſtimonio.

Amplius. Si quis hoc idem diceret de quolibet Monarcha, vel de eodem Papa in ordine ad Regimen Temporale, vel Spirituale ſubditorum, nonne egregie laudaret providentiam Principis, & Pontificis ſeligentium viros ſapientes conſulentes opportune leges, & decreta ſancienda, unde ora obtrectantium obſtrui poſſent, dicendo, eſſe cuncta ex prudentum conſilio enucleata, & emanata? Ecquis niſi audax hinc dixerit probari neceſſitatem abſolutam utendi conſultatione prudentum, itaut inanes leges ſint, ſi illis inconſultis latæ fuerint? Igitur ad revincendos Hæreticos ſermo Hoſii procedit, neque intentum adverſarii vel in apice infert.

§. XI.

§. XI.

De Alphonso de Castro.

PRovocat eruditus (*a*) Auctor ad auctoritatem Alphonsi de Castro, quem nimis fidenter appellat Apostolicæ Sedis indeficientiæ defensorem, & vindicem. Hic auctor male audit apud veros propugnatores Pontificiæ auctoritatis, quia teste Bellarmino, (*b*) sentit *Pontificem, etiam ut Pontificem, posse esse Hæreticum, & docere hæresim, si absque generali Concilio definiat, & de facto aliquando accidisse*. Hæc Bellarminus, qui hanc opinionem, ut erroneam, & hæresi proximam rejicit, atque sugillat. Et sane Alphonsus tradit: (*c*) *Ad solam Ecclesiam pertinere Sacrarum Scripturarum interpretationem, quam quisque fidelis amplecti tenetur*: Ait: *Omnis homo errare potest in fide, etiamsi Papa sit. Nam de Liberio Papa constat fuisse Arianum, & Anastasium Papam fuisse Nestorianum .... Non enim credo aliquem esse adeo impruden-*

(a) Pag. 31. & in iter. def. pag. 63.
(b) Lib. 4. de Rom. Pont. c. 2. §. secunda op'n.
(c) Lib. 1. c. 4. advers. hæres.

dentem Papæ aſſentatorem, ut ei tribuere hoc velit, ut nec errare, aut in interpretatione ſacrarum literarum hallucinari poſſit ... Si ergo in interpretatione ſacrarum literarum quilibet homo errare poteſt, erit neceſſario judicium interpretationis penes totam Eccleſiam, penes quam jus fuerat diſcernendi Sacras Scripturas ab humanis. Nam hæc errare non poteſt, quum a Spiritu Sancto ſit edocta.

Miror Alphonſum tribuere Eccleſiæ, neutiquam Papæ immunitatem ab errore, quia hic homo eſt, perinde ac Eccleſia ex hominibus conflata non fuerit; vel æque ac iſta nequeat edoceri a Spiritu Sancto.

Hæc forte delectant adverſarium Auctorem, quia communi crimini blandiuntur. Pergamus ad cætera. Proſequitur Alphonſus de Caſtro Pontificem inſectari; deinde, veluti ex indulgentia, aſſerit: (*a*) *Ad ſolam Sedem Apoſtolicam, aut generale Concilium ſpectat de hæreſi cenſere*. Et poſt probatam auctoritatem Concilii, quia totam repræſentat Eccleſiam, ſubdit: *Sedes autem Apoſtolica, quoniam Eccleſiam tam-*

(a) Loc. cit. cap. 8.

tamquam Caput repræsentat, primum post generalia Concilia in definiendo tenet locum. En Caput post membra, en ovile prius Pastore?

Nunc ad verba objectionis. *Verum hic animadvertendum est, nomen Sedis Apostolicæ non pro solo summo Pontifice accipi, quum hic in fide errare possit, ut superius de Liberio, & Anastasio ostendimus. Sed Sedes Apostolica, quæ nunquam erravit, comprehendit tam Collegium Cardinalium, cujus Concilio juvatur Pontifex, quam ipsum Pontificem. De qua Sede non constat aliquando errasse. An autem Collegium Cardinalium errare possit, non differo. Credo tamen, quod Dominus nunquam permittet totum Collegium hæresi maculari. Quapropter justum est, ut in re tanti momenti, qualis est Fides Catholica, consulat fratrum suorum Collegium, antequam quidquam definiat, adjunctis etiam, si possibile foret, viris aliis sanctitate perinde ac doctrina eminentibus.* Advertere debuerat eruditus Auctor, dixisse Alphonsum de Castro, *justum est*, non autem dixit, esse id *necessarium*, ut contenditur. Primum utroque pollice probamus, secundum rejicimus.

Cæ-

Cæterum, sane mirandum; Alphonsum de Castro, alioquin perdoctum virum, & de Pontificia dignitate adeo egregie, ac magnifice differentem, mox Pontificiam judiciariam potestatem acerrime dejicere, itaut pene abroget. Infra loquens (a) de prærogativis a Christo datis Petro, defendit, institutum fuisse Caput & Pastorem totius Ecclesiæ, eumque præ cæteris Apostolis, & supra Apostolorum chorum honoribus, honorumque præmiis ornatum fuisse, quos singilatim dinumerat. Hic eamdem dignitatem una cum Pontifice polluit, ac dissipat. Exuit illum potestate interpretandi Scripturas, discernendique veras a falsis. In hæresi detegenda & diradicanda post Concilium tantum Judicem Papam constituit. Deinde hoc idem Papæ judicium illigat Collegio Cardinalium; aitque credere, Deum nunquam permissurum irrepere errorem in hoc Collegium, Papam vero, quia homo est, errori obnoxium esse; infamatque arroganter, ac invidiose Liberium, ut Arianum, & Anastasium, ut Nestorianum criminatur. Sed, quod audacius est, non erube-

sgit

(a) L. 12. advers. hæres.

ſcit promittere, & fide;ubere pro Cardinalium infallibititate; at pro Romano Pontifice negat quidquam indulturum. Imo quum recenſeat, plurima adeſſe Sanctorum Patrum teſtimonia aſſerentia Apoſtolicam Sedem nunquam a fide deviaſſe, in Decreto (*a*) inſerta, ea ad quiſquilias Gratiani amandat, quatenus ad Papam trahantur, inquiens: (*b*) *Videat, qui volet.*

Heu infelix Petrus, qui nihil obtinuit a Chriſto præter verba! His auctoribus gratulatur Auctor, & feſtive ſe adjungit; ſed abſque Scripturæ Sacræ textu, ac Patrum teſtimoniis nihil proficit; neque alius oſor, etſi colligatis caudis mutuo complexu ſeſe jungant, quidquam efficiet in perniciem Pontificiæ infallibilitatis.

§. XII.

De Cardinali Bellarmino.

QUum inciderit ſermo de ampliſſimo Cardinali Bellarmino, ſequar eruditum (*c*) Auctorem, qui eum ſibi

(a) 24. q. 1.
(b) Cit. cap. 8.
(c) Pag. 12. num. 3. & in iter. def. pag. 23. in fin.

sibi adjudicat, quia docuerat, juxta certissimam sententiam dicentem: (a) *Pontificem non posse ullo modo definire aliquid hæreticum a tota Ecclesia credendum*, aliquos sentire: *Pontificem non posse errare, si mature procedat, & consilium audiat aliorum Pastorum*: & alios, inquit, dicere, *Pontificem etiam solum nullo modo errare posse*. Explicat deinde eximius Cardinalis utramque opinionem, & conciliare studet, dicendo: *Posteriores auctores non negare, quin teneatur Pontifex mature procedere, & consulere viros doctos, sed solum dicere volunt, infallibilitatem non esse in cœtu Consiliariorum, vel in Concilio Episcoporum, sed in solo Pontifice: sicut è contrario priores non volunt ponere infallibilitatem in Consiliariis, sed in solo Pontifice: verum explicare volunt Pontificem debere facere, quod in se est, consulendo viros doctos, & peritos rei, de qua agitur*.

Mox subdit: *Si quis autem peteret, an Pontifex erraret, si temere definiret? Sine dubio prædicti auctores omnes responderent, non posse fieri, ut Pontifex temere definiat; qui enim promisit finem, sine dubio promisit,*

(a) Libr. 4. de Rom. Pont. c. 2.

sit, & media ... Parum autem prodesset scire, Pontificem non erraturum, quando non temere definit, nisi etiam sciremus non permissuram Dei providentiam, ut ille temere definiat.

Hucusque Bellarminus; qui nos docet, esse præcise loquutum juxta varias doctorum opiniones, quas ibi recitat, nihil de propria sententia statuens, an alteri adhæreat. Satagit quidem eas non dissentientes inter se ostendere, sed a judicio veritatis alterutrius abstinet. Quapropter incertum est, cui patrocinetur. Et si conjectare licet, quum ejus conciliatio per doctrinam Magistri Cano expressa sit, verius dici potest cum Cano sentire. Frustra igitur jactat eruditus vir pro se Bellarminum habere.

Amplius. Ex toto Bellarmini contextu non eruitur questio, de qua agitur, quum penitus illam omittat: nempe ne Pontifex mature procedens, & faciens, quod in se est, ut veritatem intelligat, quam proprio studio, & labore aptus est percipere, & discernere, adhuc coactus sit, ne erret, consulentes adire? Nec verbum quidem facit de hac re Bellarminus; ergo perperam ad causam trahitur. Imo quum in-

infallibilitatem in solo Papa residere sentiat, prorsus censendus est, necessitatem absolutam alienæ consultationis repellere. Idcirco censuit absolute Bellarminus, teneri Papam facere, quod in se est, etiam consulendo peritos, si opus fuerit; & sic curat conciliare pugnantes opiniones, dummodo constans sit apud illos sententia, quod Papa solus sit infallibilis, cui certe Auctor refragatur, ut a Bellarmino dissentiat.

§. XIII.

De Cardinali Albitio:

OBjicit eruditus Auctor sententiam Francisci (*a*) Cardinalis Albitii per hæc verba: *Diligens controversiæ definiendæ examen, debitamque peritorum consultationem, media esse necessaria ad infallibile judicium proferendum, quæ nisi Pontifex adhiberet, inconsiderate, ac temere ad res de fide definiendas accederet*.

Sed fallitur vir eruditus. Neque verba allata, neque sensus sunt (*b*) Cardinalis Albitii. En verba ejus: *Neque opor-*

(a) Pag. 13. & in iter. def. pag. 24. De inconst. in fid. cap. 3.
(b) De inconstant. in fid. c. 3. num. 24. & 25.

oportet esse sollicitum ; an Summus Pontifex debitam diligentiam adhibuerit , & contulerit rem cum peritis : quia eo ipso , quod Deus permittit doctrinam proponi cum auctoritate , supponendum est , jam rite esse discussam a proponente ; maxime enim spectat ad divinam providentiam , & ad assistentiam Spiritus Sancti , quam habet super regimine suæ Ecclesiæ , ut non permittat omitti examina , & diligentias debitas , & procedi inconsiderate , ac temere ad res definiendas , vel ad præcipiendas , aut prohibendas toti Ecclesiæ . Narrat deinde Albitius quantum laboris , & studii impensum fuerit in examine quinque propositionum ex libro Jansenii excerptarum , de quo nihil ad nos .

Itaque plurimum distant germana verba Albitii ab illis invectis a viro erudito . Et constat ea a nobis integre allegata adamussim convenire cum doctrina Magistri Cano , de qua in superioribus actum est . Quamobrem tantum abest , ut necessitas simpliciter peritorum consilii pro infallibili judicio Papæ concludatur , quin potius apertissime expuncta appareat . Docet enim *supponendum jam rite esse discussum a proponente* . Rite quidem , vel re-

per se se examinata a Pontifice apto ad discretorium judicium, vel cum peritis collata; ideoque de uno, vel altero modo non oportere esse sollicitum, monet. Quod caveret utique, si alter foret simpliciter necessarius ad certitudinem judicii comparandam.

Pudet hic referre animadversionem, quam Auctor asseruit in postremo cit. opusculo: ubi de Papa plane rudi rerum Theologicarum ponit exemplum, ut evincat necessitatem alienæ consultationis. Quid hæc ad rem nostram? Sufficit mihi Magnus Leo. Sufficit Duvalio Innocentius III. Sufficit omnibus una exceptio ad eliminandam male partam necessitatem absolutam; ut Philosophia nos docet.

§. XIV.

De Joanne Viguerio.

IN dicta Joannis Viguerii inquirens eruditus (*a*) Auctor verba profert sibi pergrata. Hæc sunt: (*b*) *Dicendum, quod Summus Pontifex, ut persona privata errare po-*

(a) Pag. 10. & in iter. def. pag. 20.
(b) Cap. 10. in instit. Theol. de virt. fid. vers. 13.

potest, non tamen, ut est Summus Pontifex ... Papa autem operatur, & pronunciat, ut Summus Pontifex, sive ut Papa, quando observat ritum in Conciliis Apostolorum, & Sanctorum Patrum definitionibus observari solitum: ut puta quando vocat Concilium seniorum, hoc est Episcoporum, & instat, instareque facit orationibus, & invocat Spiritum Sanctum, cujus assistentia Ecclesiæ promissa est: imo ipsemet talibus congregationibus adfuturum se pollicitus est, & non patietur ipsum errare.

Procul dubio Viguerius longe abest a præsenti quæstione. Etenim negat Pontifici infallibilitatem judicii extra Concilium; quod sane cadere non poterat in ejus mentem, quam non latebat pluries Pontifices extra Concilia, per Decreta, & Constitutiones de fide Ecclesiam docuisse, & docere. Idcirco ibi tantum de editione Symboli agens ad totam Ecclesiam spectare censuit juxta placitum Alphonsi de Castro. Quum autem vers. 15. sequenti sermonem habuit de Canonizatione Sanctorum, præclare, ut par est, docuit de Pontificia infallibilitate, dicens, ad Papam illam spectare, quo ad manda-

tum venerationis per totam Ecclesiam, tanquam quamdam fidei protestationem, quia *ad illum solum pertinet, ad quem spectat quæstionem fidei terminare*. Et sibi objiciens periculum errandi, respondit id quidem contingere, si Papa agat, ut privata persona; *sed procedendo ut Summus Pontifex, scilicet cum facit, quod in se est, & secundum ritum, & consuetudinem Ecclesiæ, & Sanctorum Patrum, errare, aut decipi non potest. Tunc enim comparatur ad divinam providentiam, quæ Ecclesiam suam Spiritu Sancto dirigit, ut non erret.*

Quid luculentius ex Viguerio in adversantem opinationem? Quando Pontifex facit, quod in se est ad veritatem assequendam, vel per vires altæ suæ mentis, ut ferebat Leonis Magni doctrina, vel per peritorum consilium, ad divinam providentiam promissa præstantem pertinet, ne desit Spiritus Sancti assistentia, quum occurrit definitioni fidei incumbere.

Auctor nos remittit ad Synodos *populares* tempore Apostolorum per Petrum coactas. Sed nihil penitus eruitur ad propositum Viguerii. Hic petit expresse

Se-

Seniorum, *hoc est Episcoporum* convocationem, juxta ritum ab Apostolis inchoatum, & a SS. Patribus traditum. Popularia Concilia Jerosolymis facta admittebant quoque feminas, ut probat Silvester cap. XI. Sed de his non loquitur Viguerius. Loquitur quippe de tertio Concilio, ubi Apostoli & seniores convenerant. Mox transferens seniores in Episcopos vult Papam teneri, nedum ad servandum ritum dicti Concilii, sed etiam ad sequendam personarum electionem. Quo admisso actum est de infallibilitate Papæ extra Concilium. *Et ecce error pejor priore*.

§. XV.

De Andrea Duvalio.

ALacri animo complector (*a*) Andreæ Duvalii auctoritatem objectam ab erudito adversario, quia aliter, ac ipse sentit, ut ex integro textu constabit. Arguebat Richerius adversus Papæ infallibilitatem: (*b*) *Uni alicui a Deo, aut a natura datum non esse, ut solus sapiat*. Respondit

 Duva-

(a) Pag. 52. §. 38.
(b) De infallib. Summ. Pont. p. 2. q. 3.

Duvalius: *Summum Pontificem non ita ſapere, ut ſe ſolo abſque ulla perquiſitione, & conſultatione aliquid poſſit definire; atque adèo ſi ita definiviſſe conſtaret, dummodo res judicaretur admodum ardua, & de qua viri doctiſſimi ultro citroque dubitarent, non cenſeretur hac in parte ſe geſſiſſe, ut Pontifex: debet itaque in ſuis definitionibus perquiſitione cum viris peritis ſemper uti. Non enim, ut eleganter docet Vincentius Lirinenſis libro contra hæreſes, nova fidei dogmata ſtatuit Eccleſia, ſed vetera eruit. Eruere autem eſt rem è ſuis principiis indagare, & perquirere: quod maxime fit, peritos adhibendo in conſilium, qui rem definiendam mature conſiderent, idque regulis a Chriſto Eccleſiæ relictis, Scriptura, Traditionibus, Decretis prædeceſſorum ſuorum, unanimi Patrum conſenſu, & cæteris aliis, quæ brevitatis ergo omittimus. Neque aliter, ut in confeſſo eſt apud omnes, ei adeſt Spiritus Sanctus.*

Hic, ut verba ferunt, agit Duvalius de quæſtione tantum difficillima, quæ ipſos peritos torqueat, ac diſſidentes inter ſe faciat. Videamus quid fere immediate ſubjecerit, loquendo de

quæ-

quæstione facilioris indaginis. Inquit enim:

Dices Summum Pontificem posse esse peritissimum, quales fuerunt olim Divus Gregorius, & Innocentius III. Igitur in eo casu solus, nemine in consilium adhibito, poterit definire. Respondeo rem definiendam interdum posse esse ita levem, & facilem, & ex alia parte Pontificem ita doctum, ut se ipso tanquam ex Cathedra eam possit definire: quando tamen gravis est, & nodosis difficultatibus implicata, proprio ingenio fidere non debet, sed peritos secum in consilium tenetur adhibere. Et hoc modo vi orationis Christi infallibiliter ei adest Spiritus Sanctus. Ex quibus liquet contra Richerium, quo sensu a Deo uni soli interdum datum sit, ut de re aliqua plus cæteris sapiat.

Ergo si semel Duvalius concedit Gregorio, & Innocentio posse rem aliquam de fide definire, non adhibitis peritis, explodit necessitatem simpliciter talem, quam impugnamus, & caute tacuit Auctor integram sententiam Duvalii, ut eum sibi devinciret. Num hæc minus sunt, quæ invidiose dicuntur?

Perspectis *iterata defensione* sequentibus verbis Duvalii, vir eruditus hæsit in aqua,

& innuens eum loqui de definitione rei levioris difficultatis è palæſtra fugit. Deus immortalis! Numquid eſt diſtinctio inter infallibilitatem Pontifici definientis rem fidei facilis diſcuſſionis, vel difficilioris inquiſitionis? Nullus plane hucuſque ex parte infallibilitatis hoc diſcrevit, ſed ex parte materiæ. Igitur ſi Gregorius, ſi Innocentius poſſunt per ſeſe aliquando rem de fide definire juxta Duvalium, profecto neceſſitatem abſolutam alienæ conſultationis rejicit, & eliminat.

Paulo fuſius oportet hanc doctrinam retexere. Divina providentia efficaciter decernens finem, neceſſario diſponit media, quibus utendum eſt ad exitum finis. Ut fides Jeſu Chriſti ſanguine ſaginata incorrupta perſiſteret, contulit Eccleſiæ in Concilio ſub ſuo Capite viſibili Romano Pontifice utramque clavem, ſcilicet & definiendi, & diſcernendi verum a falſo. Deeſſet quippe fini medium neceſſarium, ſi una, vel altera poteſtate careret. Verum quum plures difficultates ſe implicare ex temporum viciſſitudine neceſſe ſit, fuit opus, ut utriuſque poteſtatis miniſterium eidem Capiti daretur, ut data occaſione

ex officio exereret. Do exemplum. Exorta hæresi Ariana, per Concilium Nicænum statim confossa fuit. E contra educta ab orco hæresi Pelagiana, satis fuit Innocentius I. ad illam profligandam, quin necesse fuerit Concilium generale coire; etiamsi difficilior emersisset quæstio injecta a Pelagio, quam ab Ario, ut Theologis est clarum. Cur itaque? Nonnisi quia opus est divinæ providentiæ bono fidei opportune prospicere, & generali Concilio, & Pontifici Summo utramque clavem conferendo, quibus & discretivum judicium, & definitivum exerceatur. Ad hæc. Quemadmodum divinæ providentiæ fuit beneficium dare Africanis Patribus unum Augustinum clarissimi ingenii virum, qui virus Pelagianum quaqua versum effodere sapientissime valuit; perinde jure potuit dare Pontifici discretorium judicium, quo per se se satis sit Ecclesiam Dei docere juxta temporis opportunitatem, in qua statuerat Papam de re fidei definiturum. Et quemadmodum cæteris fuisset salebrossa, & spissis difficultatibus obsita hæresis Pelagiana, uni Augustino minus gravis esse potuit; quidni uni, vel alteri Pontifici,

Deo

Deo dante, non erit tribuendum, ut nunc levem, nunc gravissimam causam finire sit aptus? Propterea tutius, justiusque censerem, abstinendum esse a restrictione proposita a Duvalio, nempe quod possit se solo rem fidei levioris momenti absolvere, secus gravissimam causam, ne videamur legem ponere divinæ providentiæ; sed firmiter tenendum esse, Pontificem, sive solum, sive vocatis peritis de fide definientem, nunquam esse defecturum, ne in Deum blasphemè cogamur errorem transfundere.

Quid si Pontifex temere, ac inconsiderate pronunciaret, & in fidei periculum, vel detrimentum? Respondeo tritum hunc esse adversariorum timorem, sed multum imprudentem. Nunquid timendum est de fide divinæ promissionis? Nunquid desperandum de efficacia divinæ providentiæ? Volens Deus definitionem fidei per os Summi Pastoris egredi, & quod infallibiliter doceat Ecclesiam, tenetur ei discretorium judicium dare, ut medium necessarium. Hoc judicio præditus Papa plane videbit, an auxilio peritorum indigeat, nec ne, adeoque uno, vel altero modo sibi erit

erit sufficiens ad certissimam edendam definitionem : quinimo impossibile fore censendum est, ut temere, imperite, & infeliciter procedat in fidei detrimentum. Alioquin totius periculi nota in divinam redundaret providentiam ; quod absit a verbo.

Audio inquietum hominem adhuc urgere. Quid si Papa sibi fidens erraret? Nonne homo est infirmitatibus suis circumdatus? Respondeo, hujusmodi petitorem divinis promissis, divinæque providentiæ, & fidem, & ordinem negare. Obtrudam clavum clavo. Affirmant Theologi prædestinatum posse damnari, potentia scilicet antecedenti, quia est sui arbitrii compos. Negant posse damnari, potentia scilicet consequenti, ne frustaretur efficacia divinæ providentiæ. Urget utrobique sermo. Potest Papa qua homo, qua imbecillis deficere in judicio fidei, sed tantum potentia antecedenti. Verum nescit fallere, aut falli, potentia scilicet consequenti, ne frustretur divina providentia statuens per os Petri nos audire, & credere debere, & ne inanis credatur datus ordo, quem Deus posuit, connexionis scilicet

cet mediorum cum fine certissime eventuro.

Paucis repetam. Si dictum est, *per os Petri nos audire, & credere*; ergo illi datum est, posse rem fidei definire. Hoc judicium necessario prærequirit judicium discretivum; ergo & Petro est hoc datum. Hoc judicio Petrus fit aptus ad discernendum, si se solo nec ne valeat veritatem inquirere, ac intelligere, prout opus est: ergo vel solus procedat ad docendum de fide, vel ex prævia peritorum consultatione, nihil ad nos pertinet inepta disquisitio, quum certissimum sit habendum, neque Deum posse nos fallere in promissis, neque nos posse falli audiendo verbum Fidei a Petro, cui jubemur credere.

Ipse Duvalius rem perspicue conficit, quem si integre legisset adversarius, nunquam in testem pro sua causa vocasset. Respondens quippe Vigorio objicienti, posse Papam fieri hæreticum, & hæresim docere, ait: *Pontificem mente, & corde hæreticum, si se ad aliquid definiendum accingat, contra mentem suam definiturum. Caiphas enim prophetavit, & verum contra mentem suam definivit. Ratio vero ab Evangelista subditur, quia erat Pontifex anni illius*. Deinde ponit exemplum

de

de Vigilio PP. qui factus Pontifex impavide restitit Theodoræ Augustæ, & de Balaam a Deo mutato, ut loco maledictionis benediceret Israeli. Ubi, ut liquet, non recurrit Duvalius ad peritorum consultationem, sed ad debitum divinæ promissionis, & providentiæ.

§. XVI.

De Dominico a S. Thoma.

VElociori calamo me expediam a nonnullis aliis auctoritatibus objectis, quia perinde ac præcedens, circumcisis sententiæ verbis, ab erudito (*a*) Auctore referuntur. Primus occurrit Pater Dominicus a S. Thoma, qui præmittens, §. *colligitur secundo*: (*b*) *Quod Papa solus potest ordinare articulos Fidei*, ut docet D. Thomas 2. 2. q. 1. art. 11., *& circa illos facere novas editiones*, quin possit errare; procedit hoc idem dicere de Canonizatione Sanctorum. Cui quum objecisset hanc pendere a testimoniis, quæ falsa esse possunt, illico respondet, quod si hujusmodi te-

(a) Pag. 11. & in iter. def. pag. 22.
(b) De Eccl. Christi contr. 137. Sect. 15.

teſtificationes *falſæ ſunt*, *Deus movebit Papam*, *ut illas rejiciat*, quia teſte D. Thom. loc. cit. *Deus præſervat Eccleſiam*, *ne in talibus per fallibile teſtimonium fallatur*. Neque recurrit Auctor ad alienas conſultationes.

Ubi autem objecta verba Dominici a S. Thoma ſibi adſcribit Auctor, dicentis: *Quod* (*a*) *Papa habet aſſiſtentem Spiritum Sanctum non per revelationem*, *ſed mediis Scripturis*, *&* *prudentibus conſultationibus*, *orationibus*, *ac ſtudiis ſacrarum literarum*, *ut nullum committat errorem*; dictum refert ad id, quod frequentius contingit, etiam quum doctiſſimi præſunt Pontifices, neutiquam ex neceſſitate abſoluta peritos conſulentes adhibendi, ne ſibi contrarium doctum Theologum injuſte proclamare cogamur. Et enim immediate ad relata verba ſubdit idem Pater Dominicus: *Et quamvis Papa poſſit ſine Cardinalibus omnia negotia Eccleſiæ definire*, *&* *reſolvere*, *neque enim ad hoc tenetur ex rigore*, *&* *neceſſitate*, *cum apud ſolum Rom. Pontificem ſit omnis plenitudo poteſtatis*, ut ex c. *Multum* 2. q. 6. & c. *Cum ex eo* de pœn. & remiſs. *Solus Papa* *enim*

(a) Contr. 137. Sect. 18.

enim habet jurisdictionem in Sede Apostolica, *ad quam referenda sunt graviora negotia* c. *Majores* de bapt. c. *Rogamus*, & cap. *Quoties* 24. q. 1. & c. *Dudum* 3. q. 4. *Solus enim Papa habet Sedem Apostolicam* c.*hæc est fides* 24. q. 1. *tamen ex quadam decentia*, *& convenientia tenetur Papa Cardinales admittere ad consultationes graviores*, ut colligitur ex c. *Fundamenta* de elect. in 6. Ubinam adversarius excutit hic necessitatem absolutam alienæ consultationis, quam *ex decentia* P. Dominicus exquirit?

§. XVII.

De Dominico Gravina.

AD sententiam Fr. Dominici Gravinæ discutiendam accedo admiratione correptus, quia objicitur locus Auctori (*a*) repugnans, neque ejus oculos facile fuit fallere. Ait Gravina eo ipso loco citato: (*b*) *Ad* 1. *Cognita prius Pontifex definit*, *nam vel per se*, *vel per sapientes controversias examinat*, *examinatasque dijudicat*, *& ad decreta formanda decenit*. Si vero par

(a) Pag. 27. §. 9. & in iter. def. pag. 70.
(b) De supr. Jud. contr. fidei q. 1. §. ad 4. argum.

par sibi ad rem discutiendam non esset; monet peritos consulentes adhibere, uti etiam cæteris Principibus contingit. Laudat eximius Gravina, & vocat sapientes, veluti oculos supremi judicii, quos consulens Pontifex movet, *etiamsi Theologiæ habitu careret, cum super omnia suum habeat principatum. Difficultates autem* (ab his verbis dumtaxat incipit objecta auctoritas Gravinæ) *Difficultates autem scholasticæ in Accademiis facilius per sapientes, quam per Theologiæ facultatis inexpertes doctrinaliter terminantur: judicialiter vero, & auctoritative melius, imo absolute, & absque ulla contradictione a Pontifice terminantur, ex directione Spiritus Sancti moventis Pontificem cum sapientibus consulentem, ad infallibiliter controversias decidendas*. Subdit eruditus adversarius: qualem illum Pontificem vult Gravina esse motus ex directione Spiritus Sancti? Nisi eum *cum sapientibus consulentem*. Sed, quæso integra recitetur proposita argumenti solutio, conferendo posteriora cum prioribus, & statim constabit disjunctiva Gravinæ responsio. Nempe juxta superiora verba: *Pontifex vel per se, vel per sapientes controversias examinat, examina-*

na-

natasque dijudicat: Utroque modo procedens semper ex directione Spiritus Sancti procedit: ergo nunquam temere, nunquam cum periculo errandi procedit. Ergo necessitas absoluta adhibendi Consiliarios exulat a sententia Gravinæ.

Illucescit nitidius hæc veritas, si infra ad articulum X. quæst. 2. oculos convertamus, ubi quærit: an Papa non informatus a sapientibus possit, vel debeat Catholicam aliquam veritatem definire. Proponit affirmativam, & negativam opinionem; & licet statuat, ad definitionem desiderari præviam Pontificis intelligentiam saltem sufficientem, per consulentium instructionem, nihilominus concludit in hæc verba: *Possunt autem dictæ sententiæ conciliari, ut prima loquatur de exuberanti, & plena intelligentia definiendorum, ut non sit necessaria in definiente Pontifice, sed satis, si sit instructus a Doctoribus, & Consiliariis: secunda vero sententia veritatem continet, si sermo sit de sufficienti notitia, quam prærequiri non est dubium, sive propria, sive aliena informatione ministranda (ut ostendimus) & hoc satis est, ut non inanime*

definiens Pontifex asseratur instrumentum: & sic omnia consonant.

Hinc constat, Gravinam non inficiari, posse aliquando Pontificem doctiorem (ubi de Leone Magno condente per sese Epistolam dogmaticam contra Eutychetis errores exemplum a nobis ponitur) posse, inquam, proprio labore, ac studio de Fide rem examinare, ac definire, inconsultis peritis; sed vere negat inferri necessitatem absolutam alienæ consultationis. In superioribus addidi, quod quum contingat dari Pontificem doctissimum in rebus Theologicis apprime necessariis ad decreta Fidei deliberanda, censeo, ita esse loquendum: nimirum, ex efficacia, & ordine divinæ providentiæ esse debitum Pontifici donum Consilii ex motu Spiritus Sancti dirigentis illum ad incolumitatem Fidei. Deinde esse quoque eidem debitum intellectum discretionis, quo hic, & nunc sciat discernere de accommodata ad rem sui ingenii facultate; qua perpensa procedat, vel ad studium per se se comparandum, vel ad consulta peritorum exquirenda, ut exinde una, vel altera diligentia præmissa de veritate, inoffenso pede, &

in-

infallibiliter decernat. Hæc consonant tum ad laudem suavis providentiæ ordinis, & efficaciæ; tum ad inconcussam Fidei regulam, ejusque Fidei firmitatem, & decus, utpote ex Spiritus Sancti inviolabili motu, & directione descendentia. Qua Fide, si superis placet, trahitur Gravina in sententiam, quam nunquam docuit, dissimulatis iis, quæ ex professo statuit, ac firmat?

§. XVII.

De Christiano Lupo.

SIbi in Christiano Lupo insigni Theologo præsidium statuit (*a*) eruditus Auctor ejus verba referens, quæ sunt ad integritatem originalem redacta, prout jacent, videlicet: (*b*) *Episcopalis Cathedra non est solus Episcopus, sed quotquot ipsi in publico Ecclesiæ conventu assident, & in illa administranda eidem suo consilii, aut judicii suffragio cooperantur. Quocirca Provincialis Episcopus suum presbyterium, Metropolita, Patriarcha, Papa pro Sede sua habent suas Synodos, quarum sunt præsides, os, & lin-*

 gua,

(a) Pag. 30. & in iter. def. pag. 76.
(b) Ad Can. 22. dictat. Greg. 7. §. Quomodo,

gua. Et dum ex eorum communi judicio, ac suffragio agunt, statuunt, decidunt, loquuntur, dicuntur ex Cathedra agere, decidere, statuere, loqui.

Notandum velim modum loquendi Christiani Lupi. Siquidem perspicuè disserit de Papa, de Episcopis, de Metropolitis, & Patriarchis habentibus *suas Synodos, & dum in illis ex communi judicio, & suffragio agunt, dicuntur ex Cathedra agere*. Igitur de judiciis ecclesiasticis hic loquitur Lupus, quæ sunt communia, etiam quo ad Episcopos, non autem de judicio Fidei proprio Romani Pontificis, etiam extra Concilium, de quo est præsens quæstio. Nisi velit adversarius Auctor imponere eximio Lupo ignorantiam Bullarum dogmaticarum, quæ in dies eduntur, nulla habita Synodo. Nunquid assident *in publico Ecclesiæ conventu*, ut scripsit Lupus, consulentes periti Mitrati, vel non Mitrati, Galerati, vel non Galerati, ut Silvester autumat, & permittit? Nunquid in Concistorio Cardinalium, quod est publicus Ecclesiæ conventus, leguntur, & statuuntur Bullæ dogmaticæ *communi judicio, & suffragio*, ut Lupus loquitur;

qui

qui plurimum versatus est in Romana Curia, ut ei tam supina ignorantia adscribi nequeat? Quid ergo est dicendum? Nisi, Lupi proposito satis fuisse ad explicationem Dictatus Gregoriani proferre Ecclesiam Romanam non erraturam, dum in Synodis coacta sub Papa præside, adinstar aliarum Synodorum, communi judicio, ac suffragio statuit, ac decidit. Censetque proinde, S. Gregorium de hac proloquutum fuisse. Sed nunquam dixit Lupus, neque disputavit, an hic modus procedendi fuerit, nec ne absolute necessarius. Procul dubio huic necessitati intrusæ ad perdenda cuncta Petri privilegia non acquievisset, & probo. Ipse Lupus (*a*) in antecessum dixerat, & Pontificem infallibilem esse in definitionibus Fidei, & morum; nec non posse refragrari integro Concilio, & quidem *solum*. Proposuit sibi (*b*) sermonem Petri Aliacensis Cardinalis habitum in Concilio Constantiensi, in quo contendebat suadere, auctoritatem decernendi non esse solius Papæ, sed totius Concilii, & adversantes Doctores nun-

 cu-

(a) Ad Can. 21. dictat. §. expend. alia quæst.
(b) §. Quæstionem.

cupabat detractores Concilii, & adulatores potestatis Papalis, eo quia propugnabant, standum esse sententiæ Papæ dissidentis a sententia Concilii. Ad hæc quid respondit Lupus? En verba responsionis: *Existimo, Constantinopolitanam, Chalcedonensem, Quintam, Trullanam, ad septimam Synodos non fuisse Papalis potestatis adulatrices: & tamen suos Canones, & alia quædam acta, quod solus Papa contradiceret, confessæ sunt esse infirma, & caduca. Adulari est crimen, sed minus est, quam detrahere, & furari.* Hæc Lupus. Ergo, teste Lupo, poterit Papa, *solus* rejectis, vel non vocatis peritis aliquando definire: adeoque minime suffragatur Lupus adversario pugnanti pro necessitate absoluta peritorum Consultationis ad infallibilem definitionem Papæ: & apposite objectum crimen adulationis egregie retundit.

§. XIX.

De Cherubino Romano.

PArum obest objectio petita ex Cherubino Romano, quam affert (*a*) erudi-

(*a*) ag. 40. cap. 3. & in ucr, def. pag. 83.

ditus Auctor semel, ac fuse explicata fuit in præcedenti §. doctrina perperam in adversum proposita Christiani Lupi. En verba Cherubini: (a) *Tunc solum intelligitur Romanus Episcopus pronunciare ex Cathedra, habeturque decretum Sedis Apostolicæ, cum huic præcesserit consensio, sive consultatio Romanæ Ecclesiæ, videlicet Cardinalium, Theologorum, Consultorumque; uno verbo; Majorum natu ejusdem Ecclesia, & Urbis..... Haud aliter intelligi potest decretum ex Apostolica Sede manare, seu Papam loqui dogmatice, & ex Cathedra, nisi prius fratrum suorum, Majorumque natu Ecclesiæ Romanæ communicato Consilio. Secus enim non ex Cathedra, neque ut Caput (utpote quia est sejunctus a membris, posthabitisque tum Romanæ, tum universæ Ecclesiæ natu Majoribus) sed ut homo privatus, adeoque errori etiam in fide obnoxius pronunciare intelligitur*, Hucusque Cherubinus admodum hospes in rebus Curiæ Romanæ, in cujus fidem incaute prorsus adversarius venit,

Vult itaque Cherubinus, ut tum *Romanæ*, tum *universæ Ecclesiæ natu Majores necesse sit* convenire ad constituendum de-

(a) Ad tit. de consult. & de major. & obed. prop. §. 2.

cretum ex Sede Apostolica; hoc est de Fide manatum. Petam festive: an Concilium Nicænum, ex 318. Episcopis tantum coactum, complexum fuerit Majores natu *universæ Ecclesiæ*? Petam ulterius: an omnes Bullæ dogmaticæ hanc catervam hominum prævie consulentem, & consentientem prærequisiverint? Petam; an Innocentius I. in definitione a S. Augustino laudata adversus Pelagium, cum tot assidentibus fuerit loquutus? Petam a viro erudito, qui facile, ac jucunde se credidit Cherubino: an probaverit in controversia de Auxiliis ex universa Ecclesia fuisse tam immensum Senatum *Majorum natu universæ Ecclesiæ* vocatum? Apage hanc opinantis, vel somniantis fabellam, dumtaxat ad placitum modernorum hæreticorum confictam.

Quod res est. Cherubini somnium (ne censura graviori feriam) ad fingendum valet, ut penitus obliteret infallibilitatem Papæ, sive in Concilio generali, sive extra, definientis, quod nullus Catholicus admittit. Ubi autem quis velit gratiose cum Cherubino agere, mollire satagat, juxta Lupi sensum; nempe loqui

tan-

tantum de Papa ex Cathedra definiente in coacta Synodo Ecclesiæ Romanæ ex communi judicio, ac suffragio. Si secus sentit, turpiter errat; quia omnes Bullas dogmaticas delet, utpote carentes tam celebri, imo impossibili prævio conventu. Licet enim hæc interpretatio verbis Cherubini non consentiat: attamen ad detrudendam necessitatem absolutam consultationis, de qua hic agitur, satis est, & plurimum beneficium Cherubino inconsiderate loquenti afferet. Auctor inanem gloriam spirat Cherubino se adjungens; & silet Cherubinum velle convocandos *universæ Ecclesiæ Majores natu*; nempe *Presbyteros*, ait ipse. Prosit utrique hæc caterva Presbyterorum *universæ Ecclesiæ*.

§. XX.

De Ludovico Cellotio, Joanne Bagotio, & Francisco Combefisio,

De his Doctoribus in postrema iterata defensione loquitur (a) Auctor, immemor illos nunquam aut citasse, aut eorum meminisse in priori Anonymo Opusculo. Ut

(a) In iter. def. pag. 80.

Ut non sit, hæc levia pertransimus, quum majus veritatis pondus nos urgeat. Ad Cellotium provoco.

Scripsit itaque Cellotius: (a) *Loqui (Papam) ex Cathedra, cum tres adhibet conditiones, quarum vel una si defuerit, ex edito universalis Doctoris solio, ad privatæ personæ conditionem devolvitur. I. Ex parte materiæ desumo, quam volo esse propositionem veram, vere revelatam. II. In inquisitione requiro, ut neque solus judicet, neque temere pronunciet .... Adhibeat igitur oportet maturam, ac diligentem discussionem, sine qua Christus, ex lege ordinaria, neque Pontifici, neque Concilio infallibilitatem promisit .... Ut toti Ecclesiæ, ut absolute, & præcise proponat.*

Ad intelligentiam illius Clausulæ *ex lege ordinaria*, referamus oportet oculos, mentemque ad præcedens caput V. ejusdem libri, ubi S. Stephanum I. laudat pronunciantem contra S. Cyprianum, de rebaptizandis iis, qui ab hæreticis baptizati fuerat, *nihil innovetur, quod traditum est*; permittitque Cellotius hujusmodi decreta, etiam ab inconsulto Pontifice edici posse, etsi id sugil-

(a) Libr. 4. de Hier. Eccles. ap. X.

gillasset Cyprianus scribens : (*a*) *Prophetæ duo, aut tres loquantur, & cæteri examinent*, juxta dictum Apostoli.

Tunc sic. Universa antiquitas venerata est, ac professa est decretum illud Stephani fuisse decretum Fidei ; & erravisse S. Cyprianum illi reluctando. Id nemo inficiatur, licet pluribus excusandus S. Cyprianus visus sit. En igitur plana explicatio dictæ Clausulæ ; nimirum *ex lege ordinaria*, ex frequentiori usu, qui quamdam moralem necessitatem induxit, tenetur Papa peritos consulentes advocare : neutiquam ex rigore necessitatis absolutæ, ne cogamur decretum Stephani infallibilitate pronunciantis spoliare, sicut & de Epistola dogmatica S. Leonis pluries est dictum.

Cum Cellotio sentit Joannes Bagotius iisdem insistens conditionibus. Sed (*b*) & idem cap. præcedenti sect. 2. affert exemplum decreti S. Stephani adversus rebaptizationes a S. Cypriano defensas, prodens verba ejusdem (*c*) Cypriani, quibus Ste-

(a) Epist. 71. ad Quintum.
(b) In Apolog. Fid. l. 4. disp. 2. c. 3. sect. 1.
(c) Epist. ad Pompejum.

Stephanum vellicabat, acsi *imperite, atque improvide dicere, & scribere* ausus esset, quum id non potuerit definire inconsultus contra tot Concilia Afrorum Episcoporum. Defuit ejus memoriæ aliud exemplum de Epistola dogmatica S. Leonis, qua cautior factus fuisset in disquisitione præsentis controversiæ.

Cæterum plus audet Bagotius contendendo (*a*) Papam nihil unquam de Fide definire nisi in Concilio. Totus est ad id probandum, nescius certe, quomodo Bullæ dogmaticæ edantur, ne cogamur suspicari, voluisse eas omnes in Fidem dubiam revocare. Accipe verba Bagotii. *Romanus Episcopus, quoties de negotio Fidei, aut aliis ad Ecclesiam spectantibus tractat, Concilium habet, & saltem Clerum Romanum ex Episcopis suæ Provinciæ, Presbyteris, & Diaconis Cardinalibus compositum in Synodo congregatum audit: nec unquam de Fide quidquam definit, nisi in Concilio*. Et in fine sect. 3. in hæc verba concludit. *Ex quibus omnibus concludo, Summum Pontificem, ut definiat aliquid infallibiliter, Concilium aliquod, seu Synodum audire*

(a) Disp. 3. cap. 1. sect. 1.

dire oportere; nec male dici, tunc ex S. Petri Cathedra eum loqui, seu pronunciare sententiam, cum audito Concilio pronunciat.

Hæc omnia fingere oportebat, vel debuit, a frequentiori priscæ antiquitatis more aliena; vel immemor est de usu edendi Bullas dogmaticas extra Concilium, de quibus omnino silet Bagotius; vel quia ad muniendam improbabilem opinionem necesse erat plura ex arbitrio comminisci; etiam citra culpam, quia nunquam forte Romam vidit. Destructo igitur fundamento ruit opinio Bagotii, & nihil favet adversario, nisi figmentis delectari placeat.

Nunc ad Franciscum Combefisium accedo, qui scripsit: (*a*) *Pontificem loqui ex Cathedra, est loqui cum fratrum consilio ex communi Ecclesiæ sensu*. Unde id hauserit Combefisius, nemo divinabit, quia nullibi id probat. Opinio, quæ nullo nititur rationis, vel auctoritatis, traditionisque momento, maxime in re dogmatica per sese corruit in ortu. Præterea labat utrinque allata loquendi ex Cathedra descriptio. Quando enim adest communis sensus Ecclesiæ non occurrit necessitas

(a) Tract. pro actis 6. Synod. c. 2. §. 7.

ras loquendi ex Cathedra ; bene vero quum de interpretatione Scripturarum , de intelligentia Sanctorum Patrum , vel de Theologorum discrepantia disputatio oritur , ut inde communis sensus Ecclesiæ per Papæ definitionem determinetur , & ut certus proponatur tenendus. Si disceptatio contingit de ipso communi sensu Ecclesiæ , ut fuit illa inter S. Cyprianum & S. Stephanum , & alia de celebratione Paschæ inter Ecclesias Asiæ & Victorem I. PP. , est ne petenda definitio a communi sensu Ecclesiæ , aut vero ab auctoritate infallibili definientis , quisnam sit tenendus pro communi Ecclesiæ sensu ?

Igitur Combefisius non adamussim decocta materia loquutus est , sed rudi minerva , dicturus certe verius si exactius ad examen processisset , inquirendo quid possit Papa per se se salvo privilegio suæ infallibilitatis in judiciis ex Cathedra. Hæc Theologi auctoritas sic lenita probabilitatem conciliat ; aliter dicentis nihil efficit : & optime interpretamur loquutum de usu frequentiori , non autem de necessitate absoluta alieni consilii .

§. XXI.

§. XXI.

De DD. Cardinalium Privilegiis.

OMnem laudem amplissimis Cardinalibus tribuit (*a*) eruditus Auctor. Dignitatem veneratur, jura, celebrat, auctoritatem colit. *Coadjutores, & Collaterales Papæ, universum orbem cum illo judicantes*, ex B ernardo (*b*) prædicat: *Consiliarios Pontificis, & Conjudices orbis terrarum*, cum Pio II. (*c*) nuncupat. Eos esse, *ex quorum consilio, & assensu Pontifex regit, & gubernat universam Ecclesiam*, cum Joanne Cardinali a Turrecremata proclamat. Eorum consultationem esse necessariam cum frequentiori calculo Doctorum in decretis, describit. (*d*) *Cardinales esse, quasi in possessione, quod ipsorum consensus in hujusmodi causis requiratur*; & in negotiis expediendis *consensus majoris partis procerum requiritur*, cum (*e*) Abbate

(a) Pag. 85. §. 3. per tot. & in iter. def. art. 3. pag. 27.
(b) Libr. 4. de consid. cap. 4.
(c) Orat. ad Card.
(d) Cap. Vener. tit. Qui fil. sint legit.
(e) In cap. litteris n. 13. de rest. Spol. Cons. 137. n. 6. & 7.

te Panormitano & cum Zabarella memorat.

Optime quidem, & augustiora etiam deprædicata, præ cæteris ad veritatem, & non ad fucum, ab Abraham (*a*) Bzovio, approbo, concedo. Sed, quæso, ne hujusmodi præconia sint in perniciem absolutæ a vinculis Pontificiæ infallibilitatis, & in injuriam Petri, ac Christi Pontificis æterni. Nihil ad rem conferunt prædicta. Necessitatem congruitatis evinctunt, non necessitatem absolutam adsistentiæ, & consilii. Venericus Schismaticus & rebellis Episcopus, (*b*) ut promoveret Antipapæ Guiberti Pseudo auctoritatem, spoliavit, & ipso nomine Gregorium VII., infamavit, contempsit, & criminatus est, dicens: *Postquam aliundo ascendit in Papatum, a consilio removit Cardinales Sacræ Sedis... ejectis a consilio, & custodia ejus Cardinalibus, vita ejus, & fides, & doctrina fuit sine testibus*. Affirmat judicasse ex arbitrio proprio absque Cardinalium consultatione, & propterea lapsum a Sancti Petri privilegio errasse, & jure dejectum,

at-

(a) Tract. de Rom. Pont. c. 33.
(b) L. de conserv. Eccl. Unit. advers. Greg. VII.

atque exauctoratum fuisse: Ejusdem furfuris & sensus fuit Benno Cardinalis, qui vaferrime consilii & prudentiæ laudes Cardinalibus impendens, temeritatis, & ignorantiæ insimulabat S. Gregorium VII. quia inconsultis Cardinalibus ageret. Dona Danaum sunt valde cavenda. Contra laudatur Adrianus PP. qui ad leniendam indignationem Guilielmi Siciliæ domini ob denegatum Regis titulum, & ad cohibendas depopulationes, ab ipso invectas in Apuliam, & Beneventum, *renitentibus Cardinalibus Adrianus indignatus omnia Guilielmo, ut petierat, indulsit, titulosque prædictos attribuit*; ut narrat liber Pontificalis, & Robertus Abbas Montensis in Chronic. ad ann. 1157.

Sunt igitur amplissimi Cardinales Consiliarii Papæ; sint in quasi possessione impendendi, & superimpendendi suum Pontifici consilium. Propterea non intendunt arctare, & cogere Papam, ne quidquam absque eorum suffragio, & assensu etiam in arduis decernat sub pœna nullitatis, maxime in irretractabili Fidei negotio. Imo usque ad sanguinem pugnaturi declamant, defendere quum de privilegiis primatus,

 & in-

& infallibilitatis Papæ ratio occurrit. Notissima est expostulatio Cardinalium ad Eugenium III. in Concilio Remensi adversus Gilbertum Porretanum coacto, quum insonante voce conditi novi Symboli a Sancto Bernardo, una cum Gallis Episcopis, insciis ipso Pontifice, & Cardinalibus adsidentibus, exarserunt dicentes: (a) *Quid fecit Abbas tuus, & cum eo Gallicana Ecclesia? Qua fronte, quo ausu cervicem contra Romanæ Sedis Primatum, & apicem erexit? Hæc est enim sola, quæ claudit, & nemo aperit, aperit, & nemo claudit. Ipsa sola de Fide Catholica discutere habens a nullo, etiam absens, in hoc singulari honore pati præjudicium potest.* Quibus consideratis Natalis ab Alexandro adnotat sequens Commentarium: (b) *Ex hoc facto aliqui quidem perperam colligunt, causarum Fidei judicia non ad Episcopos quoslibet, sed ad unum Romanum Pontificem cum Collegio DD. Cardinalium pertinere. At id ex ista Cardinalium expostulatione nequaquam consequens est, sed solum, quod finitivam sententiam in causis Fidei dicere Juris sit Romani Pon-*

(a) Otto Frisigen. de gest. Fred. l. 1. c. 57.
(b) Ad secul. 12. dissert. 8. n. 2.

Pontificis : nec Fidei Symbolum Ecclesiæ proponendum universæ Episcopis edere liceat , S. R. E. Cardinalibus , & Summo Pontifice inconsultis , maxime in Synodo , cui adsunt .

Insuper peremptorie res conficitur allato exemplo Magni Leonis scribentis Epistolam dogmaticam pluries laudatam . Certissime tenendum est , ei non defuisse Spiritus Sancti assistentiam , neque defecisse in iis , quæ sui erant officii , faciendo quod in se est. Quumque par sibi fuerit ad enodandas rei difficultates , ad perscrutandas Scripturas , & evolvendam Patrum traditionem , ut ipse in suis epistolis explevisse proprio studio , ac labore declarat , pro certo quoque habendum est , ipsum solum , absque aliorum consultatione , indeficientiæ munitum privilegio hæresim Eutychetis fudisse , & Catholicum dogma constabilivisse. In Domino gloriatus Leo Magnus scribens ad Julianum Episcopum Coensem , ait : (*a*) *In causa Fidei , quidquid pro nostro officio agi potuit , ac potest , juvante Domino , & sollicite , & libenter exequimur .... Propter quod , omnibus no-*

(a) Epist. 91. cap. 1. & 97. & epist. 69. ad Marcian. epist. 67. ad Monac. Palestin.

tum est, non destiti laborare, ut manifestata, atque defensa Incarnationis Dominicæ veritate, omnis fraternitas, quid ubique secundum doctrinam Apostolicam & tenendum & docendum esset, agnosceret. Confirmat uberius proprii laboris partum esse sæpe dictam dogmaticam Epistolam, ubi ad Leonem Augustum scripsit: (*a*) *Promisisse me memini, in causa Fidei, de qua clementiam tuam novi pie esse sollicitam, pleniorem humilitatis meæ dirigendum esse sermonem.* Quod quidem implevit instructa epistola ex omnigena eruditionis doctrina per allatas integre auctoritates tum Evangelici Textus, cum Sanctorum Patrum congestis testimoniis.

Errat porro quisquis minoris putat Leonem Magnum; vel cogitur probare, quod Cardinales, vel peritos ad consultationem adsciverit. Sin minus sibi soli assentatur, & sua tantum verbis commentat. (*b*) Hæc totidem repetita laus Epistolæ dogmaticæ S. Leonis undequaque infallibilitatem auctoris sui spirantis erudito viro displicet, ac nauseam movet. Nec

(a) Epist. 134.
(b) In iter. def. art. 8. pag. 113.

Nec mirum, quia ad vomitum redire compellitur. Præteriens enim producta testimonia ex Epistolis S. Leonis convolat ad arcessendam infallibilitatem Epistolæ dogmaticæ ad Flavianum a posteriori examine, approbatione, & consensu Concilii Chalcedonensis, juxta placitum osorum Pontificiæ indeficientiæ; de qua fuse actum est in libr. de privil. Rom. Pont. Sicque traducens illam de fovea in foveam, nunc ad consensum prævium revocat, nunc ad consensum posteriorem ablegat, prægrandi inconstantia diris omnibus devovenda.

§. XXII.

De eodem argumento.

SInt amplissimi Cardinales orbis judices, juxta elogium Divi Bernardi; sed accipiat eruditus Auctor, ejusdem ibi insertum monitum Eugenio datum: (*a*) *Tibi (Eugeni) imputa quidquid patieris ab eo, qui sine te potest facere nihil*. Sint conjudices terræ juxta encomium Pii II. Utroque pollice subscribo. Apostoli quoque judices, & conjudices Christi in die extremo sedebunt

(a) Ex libr. 3. de Cons. loc. cit.

judicaturi duodecim tribus Israel ; quin judicio æterni judicis se implicaturos agnoscant ; nisi per judicium approbationis, juxta Divi Thomæ Commentarium ; quod idem sapit, (*a*) ac esse judicium obedientiæ, proprium inferioris, cui non liceat dissentire, vel refragari. Sunt autem Cardinales amplissimi judices ad ferenda judicia in Curia *pro mansuetis terræ*, ut loquitur Divus Bernardus: *Nec jussi renuant* (inquit) *nec non jussi affectent*; Reservato semper soli Pontifici judicio finali de rebus Fidei, & morum, & salvo arbitrio illos adhibendi,

Me latet, fateor, quid in hac disceptatione sibi præstituerit adversarius. Exposcit necessario absolute consilium prævium ad Papæ definitionem de Fide. Sed a quibus petendum sit, adhuc ipse ignorat, Hic omnino, ex consiliarii nativo munere, vult amplissimos Cardinales esse adhibendos. Mox Silvestro cohæret, satis esse, si fuerint Galerati, vel non Galerati. Cum (*b*) Driedone (repugnante Cano, cui jactat inhærere) permittit examen

(a) In Matth. cap. 16.
(b) Pag. 17. in fin.

men de adhibita, vel non adhibita diligentia in judicio discretivo Pontificis. Juxta (*a*) Cupersium advocat de jure divino Cardinalium consultationem: Sed cum (*b*) Turrecremata implicat doctos Patres, & florentissimum Clerum. Ex (*c*) Duvalio viros utcumque peritos approbat, & est contentus. Ad placitum Gravinæ se conformans Juristas, Theologos, florentissimum Clerum, vel Congregationem S. Officii vult cogi; sed cum (*d*) Alphonso de Castro sibi suadet, satis esse aliquos Cardinales, aliosque doctrina præstantes. (*e*) Lupo accedit coacervando ad consilium quotquot in publico Ecclesiæ Conventu assident, & administrationi Ecclesiæ cooperantur. Verum statim cum (*f*) Cherubino Romano omnes etiam *natu Majores totius Ecclesiæ* pro orbem diffusæ declarat a Pontifice per consilio esse adhibendos. Et hic videtur conquiescere, exclamans: *Quid aliud, per fidem numinum? dixi ego?* Tandem præcedentibus dictis posthabitis concludit, Magistro (*g*) Cano perpetuo inhæsisse, & ad-

(a) Pag. 29. init. (b) Pa. 19. & pag. 30. ante med.
(c) Pag. 33. circa med. (d) Pag. 31. in fin.
(e) Pag. 39. post. med. (f) Pag. 40. in fin. (g) Pag. 44.

adhuc inhærere. Sit laus Deo, quod accepta veritate, cætera ad eruditionem tantum prolata sapienter obliterentur.

Sed pergit vir eruditus (*b*) ad poscendam tot consulentium multitudinem, prævie ad Pontificiam definitionem Fidei, *ut rite*, *canonice*, *authentice*, *solenniter*, *&* *ex Cathedra*, *seu ex Tribunali Pontificio judicium ferant* (*Pontifices*.) Poterat a Bagotio loc. cit. insimul discere, quantum differat Cathedra a Tribunali, quod solum respicit Forenses causas. Ut ut sit: eccur etiam non postulat, ut omnes subscribant Bullis dogmaticis pro complemento solennitatis celebrioris? Ita factum est, inquit Auctor, a Petro in disceptatione usus Legalium. Bene. Sed cur, juxta hoc exemplum, non exposcit convocationem Concilii Generalis, quoties de Fidei rebus conquirendum est? Igitur ineptum ad rem est exemplum allatum, quia convocatio Concilii non erat simpliciter necessaria, quemadmodum nunquam probabitur absolute necessaria convocatio peritorum, & allata solennitas. Idcirco pure, & strictim dixit Pe-

(b) In iter. dcf. pag. 118.

Petro Christus: *Pasce oves meas: Confirma fratres tuos*. Nihil addidit Antiquitas, nihil addunt citati Theologi de necessitate, exceptis osoribus Pontificiæ infallibilitatis, qui ad arbitrium fingunt Petri Cathedram.

§. XXIII.

De quadam querela Cardinalium.

ARgumentum deductum a quodam supplici, libello dato Benedicto XIII. P. M. anno 1727. a Cardinalibus num. 24. subsignatis, occasione rumoris diffusi de arduo negotio propediem, illis inconsultis, erupturo, ac finiendo a Papa ad instantiam Magnatis; quod præter rem refricat eruditus (a) Auctor, præsentem postulat animadversionem. Locum sibi putabant apud Pontificem querendi, cur in illa negotii arduitate ipsi Cardinales consulti non fuissent, quum *uti Consiliarii nati Summi Pontificis jure debeant ad consultationem adhiberi, & audiri in gravioribus Sanctæ Sedis negotiis*. Hæc verba, hæc summa argumenti. Si quid simile peterent *Majores natu universæ Ecclesiæ*, quibus ex Che-

(a) Pag. 16. & in ite. def. pag. 30.

Cherubino Romano tam magna tribuit Auctor, nescio ipse, quid responderet.

Dico fallaciam in argumento cubare: Aliud est quærere, quid jure possit Senatus, aliud quid jure possit supremus Monarcha. Noverit optime eruditus Auctor posse Senatum jure suo, scilicet ex sua institutione contendere, etiam irrequisitum, suum consilium exhibere, imo ultro inferre, imo ex zelo boni publici, sive veri, sive putativi obturatas etiam Principis aures, & reluctantes iterum iterumque pulsare. Scit ipse quot exempla (a) Gallicana proferre possem, ubi tamen Monarchicum nomen, eodem Auctore teste, digne extollitur. Identidem noverit, posse quoque Monarcham jure suo utentem inconsultis Consiliariis, vel non attentis consiliis, aut oblatis, aut invectis, rem rite peragere, atque decernere. Hinc fit; ab illo jure descendere, quod Consiliarii ex flagranti amore erga suum Principem, & boni publici studio, possint adhuc cum Monarcha justam habere querelam, & expostulare vehementer, cur ipsis inauditis ad ulteriora procedat. Verum nemo arctabit Mo-

(a) Vide historiam Concordati apud Petrum Pithæum.

Monarcham, quin etiam suo jure utens possit omissis Consulentibus, eorumque consiliis, atque querelis, juste justa perficere. Non negabit Auctor suis edoctus exemplis. Quod dixi de supremo Monarcha, cur inficias ibit in Pontifice Maximo?

Jam superius dedi exemplum de justa querela Cardinalium apud Eugenium III. Jure id factum assero. Aliud exemplum afferre possum de justa querimonia cum Pasquali II., & ante, & post datas investituras Henrico. Sed quid inde? Nunquid omnia ad Aristocratiam trahenda, ut infecta jaceant? Nonne ultro dedi posse Cardinales amplissimos, maxime præ cæteris, corrigere, corripere, obsecrare, atque graviter, si opus est, repræhendere Summum Pontificem, eidemque succensere? Sed quid ad rem nostram, ubi de infallibilitate judicii agitur, nempe non de retractabili concessione, ut fert exemplum Benedicti XIII., sed de irretractabili definitione Fidei, cui de Fide est, inesse assistentiam Spiritus Sancti falli, & fallere nesciam?

Accipe exemplum aliud Benedicti XIII. cui necesse est conquiescere, utpote

ad

ad rem accomodatiſſimum : Vergente ad poſtremam ſeſſionem Concilio Romæ in Laterano a Benedicto XIII. coacto, quæſitum fuit, quæ formula ſubſcribendi uſurpanda foret a Patribus. Quæſtio erat, an ſubſcriptio Patrum Actis conſignanda fieri debuiſſet per verba ſimplicia *N. N. ſubſcripſi*, aut per verba *N. N. conſentiens ſubſcripſi*. Zelo decoris, auctoritatiſque ſupremæ Romani Pontificis incenſi DD. Cardinales numero 30. tunc Synodo aſſidentes, & Romæ degentes, ſub die 27. Maii 1725. ſubſcriptum a ſingulis ſupplicem libellum Pontifici obtulerunt, in hæc verba: *Non poſſe tuta conſcientia in ſubſcriptione Actorum Concilii uti verbo* Conſentiens, *quia evidens in januis eſt periculum, ne maxima pugna inſurgeret adverſus ſupremam Pontificiam auctoritatem, uſque ad vulnus inferendum Apoſtolicæ Sedis dignitati. Eo quia id præpoſtere acceptum iri ab adverſariis proclive eſt, perinde, ac Patres aſſidentes una cum Papa fuerint Conjudices, atque Conlegislatores; vel inde trahentes adverſarii ut neceſſarium Conſectarium, vacuas, ſive pendulas evadere Pontificias Conſtitutiones, niſi per Patrum conſenſum plenum* ro-

robur obtinerent . Urgentius ſub die 29. Maii repetito ſupplici libello apud Benedictum **XIII.** inſtitit ſacrum Cardinalium Collegium, in hæc verba: *Quum Cardinales ſacramento ſe obſtrinxerint defendere, etiam fuſo ſanguine, auctoritatem Summi Pontificis, & alias probe ſcientes, quanta improbitas temporum, & hominum malitia inſtet, ad perdendam, vel imminuendam ſupremam hanc auctoritatem, continuo intenta, compulſi ſunt, pungente conſcientia, rurſus rogare, ac inſtare, ne permittat verbum* conſentiens, *quod nullatenus ipſi adhibere intendunt, parati tamen, ac prompti ad ſubſcribendum per verbum ſimplex* ſubſcripſi. Infracto animo ſteterunt, & ubi primo cenſebant non diſcedere a conſueto modo ſubſcribendi Apoſtolicis Bullis, nunc flexi fuerunt ad addendum verbum *ſubſcripſi*, uti factum fuit. Non ignorabant ampliſſimi Cardinales pluries in aliis Conciliis uſos fuiſſe Patres verbo *conſentiens*, ut ipſi innuebant. Sed creſcente veneni acerbitate opportunum hoc antidotum prævertere, & ut neceſſarium urgere cenſuerunt.

Recolat, quæſo, eruditus Auctor hujus facti circumſtantias, diſtincteque per-

pen-

pendat, quantum ſtudium Cardinales impendant, ut jura Pontificia inviolata cuſtodiantur. Et diſcat. apprime menti, & cordi eorum altius inſidere jura Pontificia, quam propria; neque quidquam majus eſſe eorum animis infixum, quam intendere, præcavere, & docere, Papam eſſe vivam Regulam Fidei unice connexam cum aſſiſtente Spiritu Sancto, a quo juxta pollicita, opportune eſt dirigendus, & ut conſulat peritos, quando opus eſt, & ut iis inconſultis, quando opus non eſt, de Fide agat. Certi enim ſumus, Spiritum Sanctum non poſſe Eccleſiam ſuam fallere, adeoque neque poſſe permittere, ut Pontifex Maximus temere, aut ſuo deceptus arbitrio de Fide, vel moribus definiat. Ex dictis (iterum) hoc unum colligere eſt, in factis recenſitis certare quidem in Cardinalium Collegio zelum, & ſtudium ſervandi incolume infallibilitatis Pontificiæ privilegium; & pro aris, ac focis illud tuendi, oppugnanteſque conterendi; ſed nunquam ſibi arrogandi quidquam, vel minimum, quod jus hujuſcemodi lædere, aut vellicare unquam poſſit. Fallitur proinde quam maxime quiſquis ſimilibus technis

utens

utens, per cuniculos artificiosæ laudis in Cardinales effusæ, pertentat, ut suos fines quaqua versum excedant.

Hic tanquam quid reconditum profert Auctor, Ecclesiam Romanam ab initio suum habuisse Presbyterium in arduis consultum. Addere poterat frequentius legi in historia ecclesiastica fuisse in Concilium coactos Episcopos finitimos ad rem, maxime de Fidei negotio, deliberandam. Sed quid inde? Factum exsolvit; sed quid fieri potuerit, etiam sine illis, non attingit. Mihi non credit; credat Duvalio ab ipso laudato, alisque Doctoribus ab ipsomet allegatis, jam supra excussis, qui hanc necessitatem absolutam alienæ consultationis adeo perspicue explodunt, ut vel hebes oculorum acies videre potuerit.

§. XXIV.

De invecta explicatione contrarii assumpti.

UT obseptam ab urgentibus difficultatibus opinationem suam expediret eruditus Auctor, coactus est novis explicationibus declarare, quid sibi in animo fue-

fuerit, quum de necessitate absoluta Consulentes adhibendi ad judicium definitivum Papæ, in rebus sive Fidei, sive morum, perficiendum differit. An cohærentia sint, nunc sermo recursat. Ait itaque, (*a*) *Summi Pontificis judicium pendere quidem ab illa peritorum, sapientum, ac multo magis Cardinalium, facta consultatione, quæsitoque consilio, habitoque consensu, tamquam a mediis ad obtinendam a Deo infallibilitatis gratiam necessariis*; Non autem ut intelligi debeat, hoc medium, & conditionem intercedere oportere, (*b*) tanquam fontem, aut originem, aut causam effectricem Pontificiæ infallibilitatis. Hoc etiam modo loquens de Ecclesia Romana explicat, hanc quidem assensu suo ad indeficentiæ culmen, ut medium, & conditionem associari debere, sed numquam infallibilitatem judicii efficere, quæ solius Dei opus credendum est.

Res tamen adhuc sic explicata in magnas difficultates delabitur. I. Adhuc intellectus lectoris expectat, unde, ubi probetur necessitas absoluta hujus medii, & con-

---

(a) Pag. 45. §. 6.
(b) Pag. 47. & in iter. def. pag. 107.

& conditionis, de quibus silet Evangelium, non meminit Traditio Patrum, & ipsi citati Doctores nihil aliud interponunt, quam opinationis arbitrium. Et quia nemo alteri cohæret, ut lucide ostensum est, neque ad auctoritatem venerabilem opinionis, in re tam maxima, valent pervenire. Excipio majorem Doctorum numerum, quos ex allegatis mecum stare ad evidentiam demonstravi. II. Compertum est ex Philosophica regula, medium absolute necessarium, ad illud genus causæ spectare, cui inservit. Id ostendam exemplo dato ab (*a*) Auctore. Intentio Ministri in Sacramentis conficiendis, cum eodem effective (*b*) influit in Sacramentum. Actus vero pœnitentis simpliciter necessarii ad effectum Sacramenti penes causam materialem se tenent. Eccur Consultatio peritorum ablegánda est a causalitate effectrice infallibilis judicii, si datur ut medium, & conditio absolute necessaria? Cur id inficiatur Auctor?

Fortasse confidit, quia infallibilitas est Dei donum. Sed nihil relevat. Esto

(a) Pag. 45. init. & 46.
(b) Gotti Card. tom. 13. q. 7. dub. 3. n. 3.

effectus Sacramenti sit gratia, quæ Dei donum est, attamen Minister, & intentio suo modo causam effectricem Sacramenti complent, cui inest gratia, vel fluit. Quidni erunt Consulentes suo modo cum Papa causa effectrix judicii dogmatici, cui infallibilitas inest? Fortius. Infallibilitas est data Petro active utenda. Ergo quidquid Petro adjungitur, ut medium necessarium, est activum suo modo principium indeficientis judicii. Ergo suo modo est auctor infallibilitatis; quemadmodum intentio suo modo est effectrix gratiæ.

Neque dissentire amplius liberum est Auctori (*a*) *de Romano Pontifice falli & fallere nescio differenti*. Ejus quippe animo alte insedit, consulentes, & per consulentes ipsam Ecclesiam Romanam esse cum Papa Judicem pronunciantem judicium infallibile Fidei. Insuper Ecclesiam Romanam sic pronunciantem gaudere infallibilitatis munere. Rursus Ecclesiam dictam Romanam specialem in munere, tam activo, quam passivo, ita infallibilitatis privilegio frui, ut etiam Papa errante, illa prorsus erroris futura sit expers. Ad-

do,

(a) Dissert. 1. pag. 6. & 9.

do, illum docuisse plus infallibilitatis dono ditatam Ecclesiam specialem Romanam, quam Ecclesiam Universalem, quia labente Papa necesse esset universam Ecclesiam labi, & corrumpi, a quo periculo unam excipit Ecclesiam Romanam specialem.. Ubinam est hic locus negandi influxum effectivum in definitionem, vel judicium Fidei? Sed hæc sunt, audio; projectæ adulationis cavillosa argumenta. Alius tamen reponet, illud esse furari, ut Lupus ait, Papæ suum infallibilitatis privilegium.

Prælaudatus eruditus (*a*) Auctor vult infallibilitatis privilegium æque ac immediate donatum fuisse a Christo & Petro & Ecclesiæ. Demus etiam osoribus Pontificiæ infallibilitatis, per trasennam, Papam esse Caput ministeriale Ecclesiæ. Tunc sic. Nemo inficiabitur, Papam ex officio agentem, in utroque sensu, esse os, & linguam Ecclesiæ, ut Christianus Lupus supra citatus loquitur. Hac methodo osores prædicti, una cum Auctore, tribuunt Concilio Generali infallibilitatem judicii; est enim & istud os & lingua Ecclesiæ. Concilium Nicænum inconsultis peritis a

(a) Loc. cit. cap. 4. pag. 31.

Concilio alienis fuit os & lingua infallibilis Ecclesiæ in lato judicio. Quare? Quia nemini alteri datum est hoc privilegium; neque ex hominum arbitrio instituenda est alia Ecclesia illigata mediis, & conditionibus ex necessitate absoluta requisitis, quas Christus minime præscripsit. Et quis recte cogitabit Pontifici ex officio definienti, ut est os, & lingua Ecclesiæ, organumque Spiritus Sancti, injiciendum esse vinculum sive medii, sive conditionis ex necessitate absoluta, quod Christus præterit, quod Ecclesia per tot sæcula nullatenus indicavit, & dumtaxat post Schisma Basileense unus, vel alter opinator incohærenter invexit?

Quid? Quod idem eruditus Auctor eadem manu, qua extruit necessitatem simpliciter adhibendi consulentes peritos; intentum, & dicta confestim diripit, & vastat? En verba; (a) *Contingere potest, ut Pontifex hæc ipsa, quæ dicimus media, à divina providentia definitâ, aut ab humana prudentia dictata, adhibere omnino non possit*. Magna vis veritatis, quæ etiam nolentem trahit! Cujus generis est hujus sermonis disjuncti-

(a) Pag. 50. §. 7. init.

ctiva? Profecto vel dubitantis mens pendula, vel utriusque partis acceptio assertiva. Ecquis tantis cervicibus erit, ut evincere doctos valeat; medium ab humana prudentia inductum prorsus jugum impositurum Pontifici, & quod lepidum est, de jure etiam divino, ut sæpissime inculcat, adeo ut sine hoc medio laturus de Fide judicium indeficientiæ privilegio sit spoliatus? Quod si intelligere velit permissam prudentiæ humanæ electionem singularium Consulentium; cur toties petit, & repetit jure divino esse designatum florentissimum Clerum, deinde suffectos amplissimos Cardinales, postmodum, variata formula, vel Galeratos, vel non Galeratos satis esse? Scio equidem quædam jure divino statuta, fuisse dimissa auctoritati Ecclesiæ complenda in specie per adpromissam assistentiam Spiritus Sancti suggerentis, ut de quibusdam Sacramentis legimus. Sed nunquam legere est, non auctoritati, sed prudentiæ hominum concessum esse, novum jus divinum posse condere, illudque minus ad placitum transferre, ac moderari more figuli. Plura redundant; quia nimia absurditas abunde per se loquitur;

§. XXV.

De absurdis evasionibus.

FUtilem Apologiam sibi comparat Adversarius, dum nervoso studio absurda evacuare satagit. Primo in eo versatur, quid respondendum esset in eventu, quo Summo Pontifici Consulentium copia præsto ei non esset. Tunc dicit, relinquendum esse divinæ providentiæ, (*a*) quæ modo extraordinario tribuet media necessaria: uti in defectu ministri conferentis baptismum docemur supplere, & satis esse baptismum flaminis. Nihil ad propositum. Quæstio postulat, quid sit dicendum de absoluta necessitate Consulentium in Pontifice laturo judicium de Fide, prout passim occurrit. Quod an possit suppleri a Deo in alia providentia etiam sine Papa supremo Judice controversiarum, non est inquirendum. Silet de hoc antiquitas, silet traditio. Quæstio inquirit, an Leo Magnus exarans definitionem Fidei in sua Epistola dogmatica ad Flavianum, absque aliorum consultatione, & assensu, subierit er-

(a) Pag. 51. init. & in iter. def. pag. 108.

errandi periculum. Auctor affirmat, absque Textu Evangelico, absque Patrum traditione, absque Doctorum irrefragabili fulcimento, absque rationum pondere, solo innixus opinantium paucorum, sibi neque cohærentium, ut vidimus, auctoritatis nomine. Nos contra pugnamus, prælucere evangelicum Textum, quo Petrus solus constitutus legitur Pastor ovium omnium, & alterum, quo solus institutus est doctor, & magister omnium per illa verba: *Et tu confirma fratres tuos*. Accedit silentium totius Antiquitatis, quæ nunquam cogitavit de adjungenda necessitate consultationis, unde exceptio de novitate satis est in re maximi momenti ad confutationem opinationis.

Petrus congregavit Jerosolymis Apostolos, & Seniores, ut (*a*) disceptatio de usu legalium communi conquisitione dirempta esset. Nemo dixit, fuisse id inductum ut necessarium medium a successoribus absolute adhibendum. Idem Petrus lucide rem explicat, dicens: *Vos scitis, quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit, per os meum audire gentes verbum*

 Evan-

(a) Act. 15.

Evangelii, & credere. Protulit immediate sententiam ab omnibus laudatam, & scriptum fuit decretum. Ex his discimus, permissam conquisitionem, non ex necessitate absoluta factam fuisse, sed quia conveniens duxerat Petrus ad partes disceptantes sedandas medio Concilii uti. Leo quoque Magnus optime conscius indeficientiæ sibi a Christo traditæ, cum independentia a quolibet necessitatis medio, in hæc verba scripsit, se permisisse Concilium Chalcedonense, licet Deus (*a*) *nostro prius ministerio definierat ..., ut Concilium vere a se prodiisse ostenderet, quod prius a prima omnium Sede firmatum fuerat*. Hæc cohærenter cum his, quæ ad Flavianum scripserat; (*b*) *rem, de qua agitur, nequaquam Synodali indigere tractatu*. Argumentum hinc validum sumitur, Et Petrus, & Leo absolutos se agnoscentes a necessitate Concilii cogendi, ob indeficientiæ sibi notam prærogativam, ad convenientiæ, & suavis agendi rationis titulum, hujuscemodi medium dumtaxat adhibuerunt. Eccur coacti erunt dicendi ad vocandos hos, & il-

(a) Epist. 63. ad Theodor, Cyr, ep,
(b) Epist. 16.

& illos Consiliarios, semel ac nec Petri exemplum necessario cogit ad colligendum Concilium?

II. Fingit Auctor (a) eruditus nullatenus percipere, cur argui debeat de impacta fallibilitate Pontifici, si peritos non advocet, quum ejus personam infallibilem etiam identidem agnoverit, & declaraverit. Fingit, inquio, quia fortasse non attenderit ad illum praeclarum titulum libri: *De Romano Pontifice falli & fallere nescio*. Titulus absolutus absolutam pollicetur resolutionem. Ad haec magnifica invitatus lector jucunde librum pervolutat, sed statim in prioribus paginis offendit: (b) *Si de Pontifice nulla Sedis suae habita consultatione, nullo illius accedente consensu, disputarent; haud aegre concederem Pontificem errantem*. En praeclara laus tituli! en Thesis! *Illud ne est*, *reponit Auctor*, *in sola Ecclesia Romana infallibilitatem agnoscere, non item in Summo Pontifice*? Proh Sancte Deus! Si utrique data est infallibilitas judicii, imo Pontifici cum dependentia ab Ecclesia Romana, ut a conjudice simul pro-

(a) §. 8. pag. 52.
(b) Dissert. 1. pag. 9.

pronunciante, nonne titulus fallit, & expectatio boni lectoris confestim fallitur? Nonne est abducere fidelem animum potioris, & amplioris mundi partis, cui alte hucusque infixum est, uni Petro datum esse Summi Pastoris, & Summi Doctoris munus, & decus: adeo ut ipsum Concilium, universamque Ecclesiam pendere necesse sit a Pontificio judicio, neutiquam istud ab illa, ne duo Capita, ne duo Pastores, ne duo Doctores maximos cogamur fingere contra Christi statutum? Hæc si pensa examinabit Auctor, æquioris animi erit.

Rejicit (*a*) vir eruditus hoc consectarium, sed frustra; semel dato per ipsum infallibilitatis dono in Ecclesia speciali Romana. Et eo magis, quia, ut vidimus, hanc specialem Romanam Ecclesiam eximit a dependentia Papæ: quia errante Papà docet universam Ecclesiam erraturam fore; ubi vero agit de Ecclesia speciali Romana a periculo errandi eam liberat. Quid hæc gestiunt, nisi unam dependentem a judicio Papæ statuere, alteram absolvere. En duo Judices supremi; en duo Doctores inter se absoluti; en

(a) In iter. def. pag. 210.

en Papa non amplius organum Spiritus Sancti, sed vel sui ipsius, vel ejusdem specialis Rom. Ecclesiæ. Ex quo duo absurdiora fluunt: nimirum & quod Ecclesia Romana specialis sit per se infallibilis, & quod potiori infallibilitate præ Papa gaudeat.

Pergit vir (a) eruditus sibi suadens non ita id sequi, *quia in priori hypothesi, Pontificis errorem in Ecclesiam refusum iri, utpote quæ Pontifici erranti dedisset assensum, in secundo non item*. In vortices se se oratio involvit. In utraque hypothesi exposcit Auctor assensum, vel supponit. Ubi osores Pontificiæ infallibilitatis postulant consensum posteriorem Ecclesiæ; dicit eum rejicere; quia cum Papa errante tota Ecclesia eodem inficeretur errore. Ergo ubi petit prævium Ecclesiæ specialis Romanæ assensum, necesse foret hunc eundem errorem imbibere. Et magis, quia hanc contendit esse conjudicem una simul pronunciantem latum errorem. Utrobique est par ratio, & evincit. Quod autem Ecclesia Romana sit consulens, & Judex cum Papa pronuncians, est paradoxum intolerabile jurisperitis incognitum. Si enim con-

(a) In iter. def. pag. 125. & seq.

contigeret quidquam definitum iri defunctis Consiliariis, hoc judicium audiet apud jurisperitos, ut judicium vivorum, & mortuorum. Recolat scripsisse (*a*) de Papa definiente cum Cardinalium consilio, & assensu, quod *ipsamet sit Ecclesia Romana docens, judicans, & pronuncians*.

Præterea hic devolvitur ecclesiastica Monarchia in puram putam vesanam Aristocratiam, quam coram Eugenio IV, Episcopus Meldensis exprobrabat Basileensibus. Et verbotenus dicitur Petrus doctor, & magister, ac Pastor unice supremus totius ovilis Christi. Quid est Aristocratia, nisi multitudo Optimatum, singillatim consulentium, & simul perhibens Consultum, & sententiam ferens? Respondit vir (*b*) eruditus, Petrum Episcoporum Caput esse, & Pastorem; *quamquam sint illi simul, universalis Ecclesia docens, judicans, ac de Fide pronuncians*. Sed errat. Episcopi in Concilio coacti se dicunt quidem repræsentare Ecclesiam universam, ut legere est in actis Constantiensibus, non autem se dicunt ipsam Ecclesiam uni-

(a) De Pont. Rom. Diss. 1. pag. 9.
(b) In ... def. pag. 127.

universalem: aliter omnes magistri nullus discipulus. Ad rem nostram. Petrus cum Episcopis pronuncians, non ex necessitate, sed pro sua libertate, & indulgentia pronunciat, sicut pro libertate sua cogit Concilium. Quod & contingit in Supremo Monarcha absque dispendio Juris Monarchici. Sed ipse adversarius vult, & contendit, Ecclesiam Romanam repræsentatam per Clerum, vel Cardinales, ex necessitate absoluta, esse Judicem supremum controversiarum docentem, judicantem, & pronunciantem de Fide. Ecquid deficit puræ putæ Aristocratiæ? Et quid Petro relinquitur, nisi vacuum nomen Capitis, Doctoris, & Pastoris? Mens primævis impleta præjudiciis vix emergit.

§. XXVI.

Radix controversiæ eruta.

PRo veritatis amore, quo quilibet sui compos flagrare tenetur, compellor aperire candide controversiæ præsentis radicem, ut perspicue eluceat, quantum opinatio adversarii Pontificiam infallibilitatem oppugnet, & quo ficulneo fundamento

mento sit innixa: Primus, qui hanc, sed leviter, quæstionem excitavit, fuit, ut aliquibus placet, Guido Carmelita in Concordia quatuor Evangelistarum, cui pro titulo præfixit *Quatuor unum*. Floruit hic Theologus illustris circa annum 1330. Clavum Ecclesiæ tenente Joanne XXII. cui Opus prædictum nuncupavit. Omnibus compertum est, quanta fuerit nequitia illius temporis ob famosa dissidia inter Bonifacium VIII. & Philippum Pulchrum Galliarum Regem, necnon inter ipsum Joannem XXII. & Ludovicum Bavarum; & quantum in discrimen ex partium contendentium studio adducta fuerit Pontificis Romani auctoritas, & infallibilitatis privilegium, quia ab illa infesta perinde ac infausta tempestate luctuosum hoc de Pontifice certamen subiit, & adhuc subit Ecclesia, esto pluribus, & iteratis spiculis pertinaces osores percusserit, ac doctissimis elucubrationibus compresserit, reduxeritque ad incitas. Id constat vel lippis, ex mendaciis, ex falsatis auctoribus, ex truncatis auctoritatibus, ex dissimulatis argumentis, ex digressione ad nugaria, & contumelias, quibus scatent eorum pagellæ,

læ, quin illos pudeat, utpote pudoris expertes, haberi, apud ſapientes, impuros veteratores ad omnes ambagioſas fugitandi ludificationes paratos, ac expeditos; pertinaciam, quam colunt nunquam excuſſuros.

Scribente itaque Guidone (*a*) in hac rerum perturbatione, excidit calamo dictum illud: *Ubi Summus Pontifex cum Collegio Dominorum Cardinalium, ſive cum generali Concilio congregantur in nomine Domini, & pro Fide ejus, ibi eſt ipſe Chriſtus, qui eſt veritas ſine errore*. Novitatem aſſumpti odoratus, quoad convocationem Collegii Cardinalium, ſtatim proteſtationem intexuit in hæc verba: (*b*) *Salva ſemper veritate, & determinatione Sedis Apoſtolicæ, ac Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, cujus judicio, & correctioni per omnia, & in omnibus me ſubmitto, &, quod abſit, ſi aliquid contra veritatem, aut Sedis Apoſtolicæ determinationem dicerem, ex nunc revoco, & pro non dicto haberi volo. Igitur præmiſſa prædicta proteſtatione, videtur mihi ad ſalvandam certitudinem, & infallibilitatem Fidei Chriſtia-*

(a) § Item.
(b) §. Unde.

ſtianæ, & ſtabilitatem auctoritatis Eccleſiæ, quod ſecunda pars, ad quam inductæ ſunt ad oppoſitum rationes, ſit vera; videlicet quod Dominus Papa, ad cujus auctoritatem pertinet determinare ſententialiter, & declarare, quod ad Fidem pertinet, non poſſit cum Concilio Cardinalium errare.

Pluribus deinde argumentorum momentis evincit Guido infallibilitatem Summi Pontificis, nulla facta mentione de neceſſitate Concilii Cardinalium. Imo expreſſe docuit: *Ex quibus patet immutabilis, & invariabilis Eccleſiæ Catholicæ auctoritas, quæ poſt Chriſtum in ſolo Summo Pontifice, & non in aliqua privata perſona noſcitur univerſaliter contineri.* Poſtea in (a) fine producti quæſiti, adhuc formidine perturbatus præmiſſam repetit proteſtationem, dicens: *Hæc dicta ſint ſine temeraria aſſertione, & ſalva veritate, & ſub correctione Sedis Apoſtolicæ, & Eccleſiæ Romanæ, cui nunc & ſemper in omnibus dictis meis, & dicendis per omnia ſubmitto.*

In tota hujus quæſtionis ſerie, quam a verſu 31. adoritur, nil aliud (b) probat Gui-

(a) §. Ulterius in fin.
(b) Pag. mihi 895.

Guido, nisi tria, nempe I. Ad Ecclesiam spectare determinationem Fidei. II. Statutis ab Ecclesia deberi assensum omnium Fidelium, quia errare non potest. III. Omnem auctoritatem Ecclesiæ esse in solo Pontifice. Sed de necessitate adhibendi Concilium Cardinalium nullam probationem affert, & ex repetitis protestationibus aperte gestit, id ex propria suggestione invectum fuisse. Sed unde probabilitatem haurire est in asserto nullo testimonio sacrarum litterarum, nulla auctoritate Patrum, nulla ratione fulto, vel colorato? Igitur, qua fluxit facilitate eloquium, & assertio, per sese diffluit, tanquam improbabilis privati Theologi suggestio. Minime defuisset Guidonis sapientiæ aliquod probationis genus, si quidquam validum excogitare potuisset.

Verum si penitius doctrina Guidonis introspiciatur, non eo scrupulo fodicata erat mens, quasi Concilium Cardinalium exigeret necessario, loco Concilii generalis, ad determinandas res Fidei; sed quia dubius erat, an satis esset, pro auctoritate Ecclesiæ explicanda Collegium Cardinalium extra Concilium generale. Ex quo

hoc argumentum conficio. Si Guidoni non erat perſpectum ſufficere Collegium Cardinalium ad repræſentandam Eccleſiam ſtatuentem de Fide, multo minus contentus fuiſſet, ut vocarentur Conſulentes periti inferioris notæ. Igitur vel ipſe tantum pro certo tenet, non poſſe Papam extra Concilium generale quidquam ad Fidem ſpectans decernere: vel plenam poteſtatem concedit Pontifici, extra quoque Cardinalium Concilium definiendi de Fide. Quum, ut vidimus, ipſe agnoſcat in ſolo Papa totam auctoritatem Eccleſiæ. Itaque exulat a ſententia Guidonis novitia hæc neceſſitas abſoluta Cardinales conſulendi, & cujuſcumque generis peritos.

§. XXVII.

Proſequitur præcedens argumentum.

SEculo poſteriori, in altera malorum colluvie ob luctuoſum ſchiſma trium contendentium Pontificum deinceps renovatum in conventu Baſileenſi, ſcripſit inſignis Theologus, ac Canoniſta Joannes Cardinalis de Turrecremata *Summam Eccleſiæ*, ubi de poteſtate Papali tractatum in-

inseruit . Et explicans (a) qualis ea sit Apostolicæ Sedis sententia a Pontifice prolata de Fide tenenda, dicit eam esse, *quæ maturo, & gravi virorum sapientum, & maxime DD. Cardinalium Concilio primo digesta, & maturata sancitur*. Præcedentibus verbis scripserat, non eam esse, *quæ occulte, malitiose, aut inconsulte profertur*. Hanc labem certissime non incurrit Leo Magnus, neque incurrere poterat, quia Deus non est permissurus, ut tanta laboret nequitia Pontifex, vel negligentia, eo ipso, quod velit mittere Spiritum Sanctum assistentem, ac dirigentem Papæ judicium de Fide promendum. Notandum tamen est, Purpuratum hunc nunquam adjecisse clausulam, unde educi possit necessitas absoluta alienæ consultationis, etsi asserat, quod *Summus Pontifex cum Cardinalium consilio, & assensu agit, disponit, atque gubernat universam Ecclesiam*. Ecquis est adeo hospes, ut Papa in singulis, etiam arduis, quæ suam non excedant potestatem, vel non involvant, cogatur semper consulentes adhibere, aut velit? Simulacrum hoc neque potuit

 Pur-

(a) Libr. 2. cap. 92. ad 6. object.

Purpuratus de Turrecremata somniare.

Ad ulteriora. Magister Silvester Prieras (*a*) post integrum sæculum durius de hac re disseruit. Videtur enim inferre velle, quod Papa, ut Papa agens, determinat cum consilio deputatorum. Sed adhuc nullam clausulam copulat, pro necessitate absoluta hujus agendi rationis. Hic cautus loquendi modus indicat omnino voluisse consulto abstinere a quæstione de possibili; videlicet: an possit Papa etiam inconsultis peritis, ut Papa, determinare de Fide. Neque negotium facessit, quod hic agendi modus sit de jure divino, ut ait, quia supra abunde ex Cupers explicatum est, quam latissime recipiendum sit hoc jus divinum in præsenti.

Sed omnem scrupulum, dubietatemque interpretationis sustulit egregius Theologus (*b*) Andreas Duvalius, qui adeo urget necessitatem peritorum consilii, ut illam turgentibus verbis circumscripserit, dicens: *Neque aliter, ut in confesso est apud omnes, ei (Papæ) assistit Spiritus Sanctus.* Acrioribus verbis extulit eamdem necessita-

(a) Loc. supra cit.
(b) Tract. de supr. Pont. pot. p. 2. q. 3. ut supra. §.

tatem Magister Gravina scribens : *Quia Spiritus Sanctus hac lege ei (Papæ) assistit, si consultationes præmittantur*. Nihilominus uterque (*a*) Doctor præclare, ac nitide excipit, ut jam superius verbis eorum relatis, demonstratum est; nimirum, quod Si doctus Pontifex per se se difficultates evolvere velit, poterit utique sine peritis consulentibus de rebus Fidei judicium ferre.

Igitur neque Cardinalis de Turrecremata, neque Silvester Prieras, qui minus necessitatem alieni consilii urserunt, & quilibet alius Doctor eos sequutus, cogi possunt in necessitatem absolutam venire; esto vir eruditus dissimulatis verbis Gravinæ, & Duvalii, & indiscussa eorum integra doctrina sibi favere per vim omnem contendat. Sed jam noverunt sapientes, apud quos æqua laus, vel probrum,

 §. XXVIII.

(a) §. 15. & §. 17.

§. XXVIII.

In idem argumentum.

NEglectis quibusdam ratiunculis objectis ab Edmundo Richerio, ut infallibilitati Pontificiæ obsisteret, jam plene a Duvalio dissipatis, ex quarum occasione recruduit in Galliis disputatio de necessitate consultationis præmittendæ ad judicium Papæ de rebus Fidei & morum, tota hujus rei ruinosa moles extruitur super cap. *Apostolicæ*, & super cap. *Venerabilem*, ed quibus hic singulatim agendum est,

Canon *Apostolicæ* ex Regesto S. Gregorii deductus in hæc verba (a) se explicat, ut supra innuimus: *Apostolicæ Sedis sententia tanta semper Concilii moderatione concipitur, tanta patientia, & maturitate decoquitur, tantaque deliberationis gravitate profertur, ut nec immutari necessarium ducat, nisi forte sic prolata sit, ut retractari possit, vel immutari, si secundum tenorem præmissæ conditionis existat.* Ibi repetentes Doctores conjiciunt inferri, non esse feren-

(a) 25. q. 9. ibi Turrecrem.

rendam ſententiam *ſub conditione* , ſemel ac definitiva ſit , ſecus ſi ſit interlocutoria , vel proviſionalis . Verum ubinam in recitatis verbis cubat neceſſitas alieni conſilii ? Nunquid in verbis illis : *Tanta ſemper Concilii moderatione concipitur* ? Sed ubinam legitur ſemper conſtitui ubique Judices cum aſſidentibus Conſiliariis ? Ubinam ſemper , & ubique adeſt plurium Magiſtratus ? Adeſt ne in Pagis , & Oppidis , imo in urbibus , ubi in pluribus unus præficitur Judex , qui neminem conſulit , niſi leges , & Doctorum libros ? Hæc igitur eſt conſultatio petita a Canone , nec quid aliud exigitur ; ne cogamur ſententias Judicum in Pagis exiſtentium de nullitate excipere .

Et ſane , ita intelligere neceſſe eſt . Eundemque Canonem ſic intellexit Duvalius , ut etiam in definitionibus Fidei doctus Pontifex , veluti Gregorius , veluti Innocentius III. poſſit per ſe ſe Scripturas evolvere , Patres ſcrutari , Traditionem conſulere , & perfectiſſime contemplari . Quid ad claram , expeditamque Duvalii declarationem , ſententiamque excludentem neceſſitatem abſolutam alieni conſilii ,

respondet eruditus Auctor? Exclamat: *Quid clarius, quid disertius*? Utique contra opinionem, quam sectaris de necessitate absoluta exquirendi peritorum consilium, quia si licuit Leoni Magno, si licet Gregorio, vel Innocentio, evolat proculdubio necessitas absoluta, ut supra est demonstratum. Ergo Canon *Apostolicæ*, qui gestit gravitatem, & maturitatem consuetam Pontificum in definitivis sententiis, non cogit eos ad consulendum peritos, nisi prout a Deo directus fuerit, juxta datum judicium discretionis, adeo ut si per se valeat proprio labore, ac studio difficultates exsolvere, ut Magno Leoni contigit, possit etiam rem de Fide definire,

Objicit adversarius: *Si quid probat argumentum, illud, ut summe probat, Pontifices eruditione, & doctrina præstantes, Leonique simillimos, per se se, ac sine consultatione, alienoque consilio esse infallibiles, non item alios*. Sed errat, Qui alligat infallibilitatem cum peritorum consilio ex necessitate, & constituit Ecclesiam Romanam pronunciantem simul cum Papa, ille est, qui a peritorum sapientia, fere semper in vo-

a) In uer. def. pag. 116.

voto discordi, infallibilitatem Pontificiam metitur, & expiscatur. Sed qui liberum dimittit Pontifici uti, vel non uti alieno consilio; & totius infallibilitatis pondus refundit in Dei donum, tum discretionis circa apparatum Judicii, cum ipsius Judicii deliberationis, ex adpromissa Spiritus Sancti assistentia directæ, & suavi providentia impulsæ; nequaquam sapientiæ, & eruditioni Pontificum indeficientiam Judicii, ut docemus, attribuit. Quemadmodum dono gratiæ respondet meriti principium, ne gloriemur in nobis.

§. XXIX.

De Cap. Venerabilem.

Alterum argumentum educitur ex cap. (a) *Venerabilem*, quod est Innocentii III. ad Vvillelmum Comitem Pessulanum. Ibi Pontifex ad vindicandam Sedis Apostolicæ, hoc est, Papæ pro tempore existentis, potestatem, docet ad ejus judicium causas referendas esse, sententiamque expectandam, cui omnino standum sit. Producit Textum ex Deuter. cap. 17. quo

(a) Tit. Qui fil. sunt legit.

quo Deus populo præcepit: *Ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus ... Veniesque ad Sacerdotes Levitici generis, & ad Judicem, qui fuerit illo tempore ... Qui autem superbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, & decreto Judicis, morietur homo ille.*

Explicat deinde Textum Innocentius dicens: *Locus, quem elegit Dominus, Apostolica Sedes esse cognoscitur*, ideſt Petrus ex Christi mandato Romæ Sedem fundans. *Sunt autem Sacerdotes Levitici generis fratres nostri*; inquit Innocentius. Hos esse Cardinales aliqui (*a*) interpretantur. Alii esse Episcopos censent, quia tempore Innocentii III. adhuc delitescebat dignitas Cardinalitia, tot privilegiis destituta.

Scitu dignum est, quid in Judiciorum Reipublicæ Hebræorum instituto legitur, quod ex (*b*) Sigonio delibare placet. Institutus a Deo Moyses Dux populi sui solus obibat munus Judicis, adeo ut consultus ab Jetro, ut tantum laborem sibi parceret, inter viros sapientes illud idem mu-

(a) Gonzalez in dict. cap.
(b) Sigon. de Republ. Hæbr. l. 6. c. 6.

munus distribuerit, reservata sibi tantum graviorum rerum cognitione. Successive jussu Dei septuaginta Seniores delecti fuere, qui per civitates distribuebantur judicia finituri, ea lege, ut si lites exsolvere ignorarent, eas ad Synedrium referrent. Tempore Judicum supremorum & ipsi soli judicia expediebant, quamobrem (*a*) de Debora, & Samuele legitur, quod circuibant per loca judicantes (*b*) Israelem. Ergo soli absque consiliariis, vel assidentibus. In Senatu autem Levitici generis aliud erat judicium Levitarum, & aliud Pontificis, qui per annum deligebatur ingressurus sancta penetralia, ibique Domino ministraturus. Ad illos pertinebant causæ minores, ad hunc majores causæ reservabantur, pro quibus si opus erat, Rationale consulebat, in quo (*c*) doctrina, & veritas emicabat. Seniores autem Levitici generis non uno loco erant judicaturi; sed alii sedebant in porta, alii in atrio, alii Senatum conficiebant, faciliora successive, tum difficiliora judicantes, per re-

(a) Sigon. libr. 7. c. 2.
(b) Judic. c. 4. & Reg. 1. 7.
(c) Sigon. l. 5. c. 2.

remiſſionem unius ad alterum Tribunal.
Adde Textum Eccl. 45. 21. de Aarone dicentem: *Ded illi in præceptis poteſtatem, in teſtamentis judiciorum docere teſtimonia, & in lege ſua dare legem Iſrael.* Ubi Lyranus explicat: *Ad declaranda dubia, referebantur ad ſummum Sacerdotem, ut ſententia ſua infallibiliter teneretur* 17. *Deut.* Ibique concordat Ugo Cardinalis.

His explicatis, labitur utrinque elumbe argumentum, ob minime diſcuſſas Scripturas, objectum. Igitur juſſit per Moyſem Deus populo, ut veniret ad deſtinata Tribunalia gradatim pro qualitate cauſarum, intellecta particula & disjunctive, alias etiam Judex, ſupremus dux, debuiſſet ſimul convenire, quod, ut vidimus, repugnat Scripturis. Quod ſi difficillimum occurrerit, vadat populus ad Pontificem illius anni, & ne declinet a ſententia, quam audierit. Ita, inquit Innocentius, venies Romam, ubi in diverſis Tribunalibus ſedent judicaturi Cardinales fratres mei. Ubi autem petitio ſuberit, vel quæſtio de Majoribus, puta de privilegiis, de diſpenſationibus, de interpretatione (*a*) Scriptu-

(a) Gonzalez loc. cit.

turarum; de Fidei, & morum controversiis, ad Petrum venies expectaturus judicium, a quo nefas sit resilire: quia hic assistentem habet Spiritum Sanctum, & dono discretionis, atque infallibilitatis est munitus, quemadmodum Pontifex veteris Testamenti inspiciendo Rationale doctrinam & veritatem promendam docebat.

Quid extundant ex hoc cap. *Venerabilem*, pro necessitate absoluta peritorum consilii, nullus conjicio, quia nullibi in neutro Textu nec verbum legitur. Potuit in lege veteri Judex pro arbitrio consulere, vel per se se judicare, ut vidimus. Potuit & ipse annualis Pontifex, quum Textus suffragetur; eccur id denegandum Petro, qui meliori fungitur Sacerdotio, & altiori privilegio a Christo est donatus? Qui plura desiderat, adeat Magistrum Capponi a Porrecta, qui *in aureis veritatibus super Leviticum, & Deuteronomium* docte, ac perspicue impugnat adversariorum opinationem de necessitate absoluta alienæ consultationis in judicio infallibili Papæ.

§. XXX.

§. XXX.

De paritate Capitis utentis membris Corporis.

A Naturalibus ad moralia procedit præsens objectio. Sicut, inquit, Caput naturale pernecesse habet uti cæteris membris ad obeunda Corporis, & sui officia; ita Caput morale, cujusmodi est Papa debet uti membris suis, puta Cardinalibus, vel peritis, qui vel actu, vel habitu sint Cardinales, ad obeunda officia propria Capitis in favorem totius corporis Ecclesiæ.

Hæc summa argumenti, quod mille pedibus claudicat. Age. Quid nomine Capitis naturalis venit? Certe Caput suis partibus integrum, sicut de manu, sicut de pede, alias truncus simillimus Hermæ impotens ad suum officium erit, sicut & de manu digitis orbata est dicendum. Sed Caput naturale plura facit per se se absque necessitate utendi alienis a se membris; igitur & poterit Caput morale, absque usu Cardinalium, vel peritorum. Praterea; principale, quod est in Capite naturali,

rali, est mens dirigens, determinans, atque definiens; sed hæc præstantur absque membris externis: igitur, & in Capite morali, quod in mente sua poterit rem Fidei definire infallibili judicio se ipsam obligante ad assensum; esto ad aliorum obligationem etiam pronunciatio requiratur. Est enim supremus Judex, nemini subjectus, maxime in Fidei judicio. Itaque ineptissima est paritas ad intentum necessitatis absolutæ alieni consilii.

Ad hæc. Etsi frequenter similia ad naturalia metiamur Moralia, nunquam paria evadunt, quia in Moralibus adest semper major ampliatio. Exempla dedimus ex sacris (*a*) literis. Dux populi Dei erat insimul Judex, & tamen persæpe judicabat absque consilio, ut de Debora, & Samuele legitur; & de Salomone alibi diximus, & constat ex Scripturis. Ita quoque legimus de annuali Pontifice antiquatæ legis, cui incumbebant judicia altissimæ doctrinæ, & veritatis. Et deterioris conditionis erit a nobis censendus Pontifex Maximus legis Christi adeo excellen-

(a) §. præced.

lentioris gratiæ, & privilegiorum abundantia ditatæ, & ditantis?

Adde. Quod Cardinales sint membra Papæ passim legitur apud Jurisperitos, & apud Theologos. Sed quod simplices periti, non mitrati, neque Galerati sint membra Papæ, quia sunt Cardinales re, & actu, esto non nomine, vel habitu, nullus id dixit, aut somniavit. Ecquis colliget ex paritate Capitis, quod Papa ex necessitate utens, ut Caput, suis membris, liberum habeat uti peritis non Cardinalibus, qui nullatenus habentur, ut membra illi adhærentia? Sane paritas tot morbis laborat, ut pudeat illam amplius refricare. Quod argumento est, ut insignis Theologus, & Canonista Silvester Prieras eam urgens, nunquam intenderit exinde deducere necessitatem absolutam alienæ consultationis in Papa definiente ex Cathedra, sed condecentiam, & convenientiam, ad melius esse dumtaxat perspexerit inferre. Decipiuntur quippe adversarii in eo, quod agente Petro *ex humilitate*, cum communi omnium voluntate, itaut nihil ageret *principaliter*, *aut dominative*, ut ait Chrysostomus *super act. Apost.* cogitant,

non

non habuisse per se liberam auctoritatem agendi, & definiendi, quod falsum est, ut ex ipso Chrysostomo observavit Cardinalis de Turrecremata libr. 3. cap. 24. parum ab initio.

§. XXXI.

Corollarium præsentis Dissertationis.

TOtus disceptationis conatus cum adversariis in contraria collimat. Pontificii Theologi vindicant absolutam infallibilitatem Papæ in definitionibus Fidei & morum universæ Ecclesiæ propositis, innixi verbis absolutis Christi Petro dicentis: *Pasce oves meas*: *Pasce agnos meos*: & alibi: *Confirma fratres tuos*, ubi nihil de conditione, vel medio extraneo quidquam innuitur. Ita intellexit Antiquitas, ut semper Patribus, & perpetuæ Traditioni ignotum fuerit additamentum, quod post dissidia, & schismata ad circumscribendum, & callide circumcidendum hoc privilegium, unice a Christo datum, osores Pontificiæ auctoritatis novissime excogitarunt. Ex quo fit, ut apud Pontificios Doctores sit irrefragabilis hæc propositio absoluta:

Papa docens in rebus Fidei & morum totam Ecclesiam, est infallibilis.

Osores Pontificiæ auctoritatis inutili conatu per cuniculos moliti sunt assertum inficere, & dejicere, ut alteram contrariam propositionem cate inducerent, nempe: *Papa docens in rebus Fidei & morum totam Ecclesiam, est fallibilis*. Ita protulit Alphonsus de Castro; ita Auctor opusculi *de Pontifice Romano fallere & falli nescio*, suo stigmate notati. Quidquid enim additur, quod ignoravit antiquitas, quod traditio Patrum non adjunxit, nunquam infringit absolutum de Papali infallibilitate assertum, sed variat, ut notum est Philosophis. Do exemplum, quod suppeditat vir eruditus, sed minime ad rem suam, ut perperam censuit. Hæc propositio: *Prædestinatus erit salvus*: est assertio æternæ veritatis. Siquis adjiciat conditionem per modum contingentis, nempe: *Si perseveraverit, erit salvus, si non perseveraverit, non erit salvus*, ecce resoluta propositio in falsum, & impossibile ex adjecto assertum; nimirum: *Prædestinatus non perseverans non erit salvus*. Ratio omnium est, quia ly *prædestinatus* includit certissimum de-

decretum salutis consequendæ, & simul decretum dandi donum finalis perseverantiæ. Aliæ vero propositiones, quæ non causam, sed effectum prædestinationis explicant, possunt esse simul veræ, uti istæ sunt: *Qui perseverat usque in finem, salvus erit*: *Qui non perseverat usque in finem, non erit salvus*; quia utraque præscindit a decreto intentivo prædestinationis.

Tunc sic. Hæc propositio: *Papa docet totam Ecclesiam*; involuit necessario assistentiam Spiritus Sancti, & in hac donum consilii, & discretionis, a quibus infallibilitas fluit & docentis & doctrinæ, ideoque si quid contingens, ut necessarium adjungatur, inferri necesse est hanc impossibilem assertionem: *Papa directus a Spiritu Sancto fallere & falli potest*. Ut quid igitur osores Pontificiæ infallibilitatis illigant consilio peritorum indeficientiam Papæ, nisi ut illam evertant per absolutam enunciationem: *Papa docens universam Ecclesiam est fallibilis*?

Inquit vir eruditus conditionem de adhibendo consilio alieno subintelligi in dictis Evangelicis, sicut Intentio ex parte ministri subintelligitur in data potestate

conficiendi Sacramenta. Sed eſt diſſimile exemplum. Tum quia Hieremiæ cap. 48. 10. legitur: *Maledictus, qui facit opus Dei fraudulenter*; vel, ut vertit Chaldæus *negligenter*: Tum quia id habetur ſtatutum in Concilio Florentino pro Armenis: tum quia eſt conditio ex parte cauſæ, ut actio ſit humana, & non præciſe hominis, quæ poteſt brutis aſſimilari. Ex quibus omnibus ſi concedimus debere Pontificem vel per ſe, vel per peritos rem definiendam examinare, ac diſcutere cum Scripturis, & Traditione, donec veritas conſtet, quid ultra imponitur neceſſitas abſoluta, quam Patres Eccleſiæ non impoſuerunt, neque imponere cogitarunt? Sed candide loquar. Nimis urit Pontificis oſores infallibilitas Papæ. Nimis angit Itala conſtantia: Et quia ſuperare diffidunt, ad figmenta, & ad calumniam objectæ adulationis erga Sedem Apoſtolicam refugiunt. O miſerum effugium!

§. XXXII.

§. XXXII.

De facto Dogmatico.

AD alterum quæstionis Caput transit eruditus Auctor: loquuturus nempe de judicio infallibili super Facto Dogmatico, illud a Pontifice Maximo abjudicans. In vindiciis, quas adornat, pro auctore (*a*) opusculi *De Romano Pontifice fallere & falli nescio*, ad quæstionem, de qua agitur, plura silentio premit, & unum tantum depromit. Omnia recitabo integre, ut duo discantur. Primum in re momentosa, uti res sunt Fidei, neque ambiguitate, neque æquivocatione utendum est. Alterum est, ut perspiciat, Argos, non Aristarchos compellandos esse quos, Censores senserit.

Laudatus (*a*) Auctor pluries de facto dogmatico verba fecit. Primo, quum Zosimum PP. purgat a calumnia ei objecta, perinde ad si puros erroris Pelagium, & Cœlestium dixerit; aitque: *Constat nihilosecius, totum id fecisse Zosimum errore fa-*

 cti

(a) §. 9. pag. 54. & in iter. def. art. 9. pag. 133.
(b) De Pont. fall. & falli nescio Dissert. 1. cap. X. pag. 63.

cti, *non juris*, *hæresiarcharum artibus circumventum*. II. De Vigilio (*a*) PP. in causa trium Capitulorum erroris insimulato differens, inquit: *Obvia responsio est*, *errorem* (Vigilii) *facti dogmatici illum fuisse*, *non juris*, *seu dogmatis*, *atque doctrinæ*. Et iterum ait: (*b*) *Quapropter*, *qui in priori de illis judicio contigit error*, *facti*, *quod*, *ajunt*, *dogmatici fuit*, *non juris seu dogmatis*, *atque doctrinæ*. III. De Honorio I. PP. (*c*) agens refert nonnullorum eruditorum responsionem dicentium, sextæ Synodi Patres ex errore facti dogmatici censuisse Honorium vere Monothelitam, & subdit: *In quem facti errorem Concilia etiam œcumenica incidere posse nemo nescit*. IV. In fine (*d*) dissertationis I. ad exitum perductæ legitur monitum lectori, ubi declarat Auctor prælaudatus, *Vigilium in eo dumtaxat errore* (facti) *fuisse antequam trium Capitulorum sensum diligentius*, *& maturius expendisset*; *nequaquam vero postquam diligenter expendit*. Hac data occasione vehementer contestatus est, & profitetur alie-

num

(a) Loc. cit. pag. 66.
(b) Et pag. 97.
(c) Pag. 70. cit. opusc.
(d) Pag. 132. cit. opusc.

rum omnino esse ab eorum sensu, qui blaterant Innocentium X., & Alexandrum VII. errore facti laborasse in facto dogmatico Jansenii.

Bene sit. Sed allata repetita assertio, an per monitum sufficienter elidatur lectori dijudicandum dimitto. Nunc (*a*) eruditus Auctor sui oblitus admisisse non semel, sed iterum & iterum errorem facti dogmatici, tum in Pontifice, cum in Conciliis generalibus, & fucatam protestationem offundens, disputandi gratia, ut ait, affirmativam sententiam complectitur, propugnaturus posse Papam in facto dogmatico aberrare. Primam aleam jacit ex auctoritate insignium Cardinalium *a Turrecremata, Bellarmini, Laureæ, Pallavicini, & Aguirrii, qui de industria, & data opera docuerunt, non modo Romanos Pontifices, sed & ipsa Concilia œcumenica in errorem facti dogmatici & incidere posse, & incidisse re ipsa*. Hæc vir eruditus.

Non inficior, quosdam Theologos in facti dogmatici examine non nunquam hallucinationes passos esse, vel confundendo factum simplex cum facto mixto cum jure,

(a) Pag. 55. n. 2. & seq. & in iter. def. pag. 134.

re, vel incaute jus a facto dividendo, quum utrumque sit connexum; ut nequeat unum damnari, & alterum eodem judicio probari. Quod fortasse contigit, quia nondum emerserat facti Janseniani discussio momentosa ad depellendam distinctionem juris & facti, qua male feriati homines eludere conabantur erroris proscriptionem, nova adhibita responsione, *obedientia juri, reverentia facto*. Neque gravabor permittere, adfuisse etiam Scriptores minus caute loquutos post facti Janseniani dissidium, quos tamen Apostolica Sedes, quantum in se est, vel corripuit, vel aperte proscripsit, ut cæteri edocerentur ad veritatis studium comparandum, & eliquandam melioribus curis invectam disputationem.

Sane Constitutio *Vineam Domini* edita a Clemente XI. (quam auctor cate dissimulat) tota in eum scopum collimat, ut rebelles lumini distinguentes factum a jure in facto dogmatico, illi prætexentes obedientiam, huic obsequiosum silentium, sed verius in neutrum captivantes intellectum, aut utrumque illudentes, districte confodiat. Ex quo, quum quodlibet fa-
ctum

ctum dogmaticum ejusdem sit generis, ut plane constat, futile est illud Jansenii excipere, dum quis errorem super alio facto dogmatico in Concilio, vel in Pontifice comminiscitur. Nihil ergo fidendum esse existimet auctoritati etiam insignis Theologi, quum Papa refragratur, Proloquium enim (a) Divi Thomæ est, magis standum esse auctoritati Pontificis, quam Hieronymi, sive Augustini. Puto adulationis vitium non esse Angelico Doctori exprobrandum. Sed quid ambigimus? Ipse Auctor, effuso fuco *de disputandi gratia*, non veretur etiam factum Jansenianum in quæstionem introducere, perinde a si hæc eliquata per plures Pontificias Constitutiones non fuerit.

Quid factum dogmaticum explicet, & includat, contendit Auctor suam præferendam esse descriptionem. (b) Sit itaque: *Gratiæ interiori nunquam resisti*, error juris est; hunc errorem docuisse Jansenium, & tenuisse in suo edito libro, factum est. Adde, si placet, aliud exemplum. Propositio: *Pater major me est*, est ver-

(a) 2. 2. quest. 1. art. 11.
(b) In iter. def. pag. 139.

verbum Christi, quod est juris, interpretatio Arii, & interpretatio Sanctorum Patrum sunt quid facti. Expendit utramque Concilium Nicænum. Peto an istud errare potuerit, quia in hujusmodi attributionis examine, ut ipse Auctor ait: (*a*) *Prudenti in primis ponderatione potestatis, significationisque verborum omnium:... Tum Criticæ artis, & Grammaticæ legibus*, quæ fallere possunt, utendum est. Si Auctor annuit; en pessundata auctoritas Ecclesiæ in interpretatione Scripturarum, Traditionisque excolendæ conamine. En victor Arius; en Fides labefactata, & undique in incertum vagans, Si negat; en factum dogmaticum sub infallibili judicio Ecclesiæ, non obstantibus Criticæ, & Grammaticæ legibus, quibus interpretatio Scripturarum, & Patrum librorum subest. Hoc indeficientiæ jure Pontifex, vel Concilium definit, ac discernit libros Canonicos a non Canonicis: Sacræ Scripturæ sensum verum a falso, doctrinam Patrum certam; obviumque sensum Auctorum ab incerto: nec non a libro Jansenii, quemadmodum a scriptis Arii juxta auctorum sensum exer-

(a) Pag. 59. & in iter. def. pag. 140.

cerpit errores, & hæreſes, quibus ſcatebant. Quæ ſi in ancipiti, aut dubia veritate relinquerentur, væ, exclamare cogeremur, & Eccleſiæ, & Fidei firmitati, quia abſque regula certa impune unuſquiſque poſſet in oppoſitam abire ſententiam, liberumque fieret hæreticis a condemnatione paſſa reſilire per interminabiles quæſtiones, ac diſtinctiones, ut perſpecte docebat Clemens XI. (*a*) Ecce non amplius Arii hæreſis Ariana; non amplius Janſenii hæreſis Janſeniana, ſed purum figmentum, & ſpectrum vel pueris formidandum, ut plerique blatiunt.

Si ita eſt, arguit (*b*) Auctor, recte ſexta Synodus cenſuit Honorium ut hæreticum, ex ſenſu perſpecto in ejus epiſtola ad Sergium. Fateor; ſi ut hæreticum illum Synodus damnaſſet. Sed quia tantum eum proſcripſit ob improvidam œconomiam, ob quam erumpentem hæreſim ſtatim non extinxit, ut advertit (*c*) Leo II. ideo nullum errorem admiſit ſexta Synodus in facto dogmatico ſuper epiſtola Honorii.

Ad

(a) In cit. Conſt. Vineam Dom.
(b) Pag. 51. & ſeq. & in iter. def. pag. 140.
(c) Epiſt. 1. ad Epiſc. Hiſp.

Adhuc urget (*a*) Auctor: quid dicendum est de factis dogmaticis, nimirum Origenis, Marcelli Ancyrani, Theodori Mopsuesteni, Theodoreti Cyrensis, Ibæ Edesseni, Honorii PP., Procli Patriarchæ Constantinopolitani, Maxentii Archimandritæ, Cœlestii Monachi, Joachimi Abbatis, Juliani Pomerii Antistitis Toletani, Joannis Pici Mirandulani, quorum scripta, vel primo damnata fuerunt, & postmodum dimissa absque censura; vel primo probata sunt, & deinde anathemati subjecta? Proculdubio hic inconstans agendi modus irreptum errorem facti in Pontificum Conciliorumque judiciis arguit.

Mirandum mihi est, argumentum toties elisum, semper vetustate caducum, nunquam aliqua novitatis specie linitum, iterum irruere ad fucum faciendum. *Natalis* abunde regulam tradit respondendi ad hujusmodi objectiones, indeficientiam judicii in Papa, & Conciliis super facto Dogmatico (*b*) agnoscens, & evincens.

I. Ali-

(a) Pag. 56. & in iter. def. pag. 136.
(b) Hist. Eccl. ad sæc. V. Dissert. 14. ad ob. 2. & ad sæc. 6. Diss. 5. ad ob in 3. p.

I. Aliquando contigit rejici unam propositionem ut æquivocam, in uno sensu hæresi consonam, in altero a pravitate distantem. Ut accidit in propositione: *Unus de Trinitate passus est carne*, quam explodit Hormisdas, & probavit Joannes II. spectata discrepantia sensus. II. Quandoque occurrit hæreticas dici propositiones, vel secus non dici, ante finale earumdem judicium. Ut in Origene damnatam scripsit (a) Leo Magnus animarum creationem, priusquam corporibus inserantur, ante plenam Origenis condemnationem in quinta Synodo peractam. III. Contingit errores nonnunquam ex temporum circumstantiis dissimulatos fuisse dispensationis ergo, unde vulgum causæ, & dilationis ignorantem opinio incessit, desiisse erroris turpitudinem. IV. Non semel occurrit Theologorum imprudentia, qui ex acri ingenii impetu apologias texere ausi sunt, contendentes etiam damnatos errores, vel auctores vindicare ab injustis censuris, & ab anathemate lato eripere. Ut palam est de iis, qui Origenem defendere agressi sunt.

His minime perspectis sæpe refricatur

(a) Epist. XI. ad Julian. Ep. Coon.

tur tum a piis, cum ab impiis Scriptoribus idem argumentum in perniciem indeficientiæ, qua pollet Ecclesia, ut placet (*a*) Forbesio Heterodoxo. Igitur breviter dico, Origenem jure fuisse damnatum, & inique vindicatum.

Marcellus Ancyranus plura perpessus est ob suspicionem hæresis tum Arii, quum Sabellii, nunquam tamen convictus hæreticus, aut peremptorie damnatus fuit.

Theodori Mopsuesteni causa in quinta Synodo plene finita fuit. Antea in disceptatione hæsit. Si quis deinceps pro eodem blateravit, sapere cum Nestorio est habitus.

Theodoretus Cyrensis ex œconomia prudenti in patientia toleratus fuit, quo ad caput scriptorum, ut Nestorio diceret Anathema. Sed postea in quinta Synodo scripta exagitata, damnata decretorie fuerunt.

Quoad Ibam Edessenum, quando ventilata fuit ejus Epistola serio examine, proscripta fuit inter tria Capitula. Quæ præcesserunt nihil ad rem nostram conferunt.

De Honorio Romano Pontifice jam supra satis est dictum.

Nota

(a) Libr. 3. Instruct. historico Theol. c. 21.

Nota in Proclum Constantinopolitanum, ac si faveret contorto sensui propositionis Scytharum Monachorum ad Hormisdam delatæ, fuit suspicionis, non definitivi decreti. A Concilio Chalcedonensi depulsa est. Quid ad nos?

Vindiciæ pro Joachimo Abbate imprudenter ab arbitrio hominum invectæ non evacuant latam censuram Lateranensis Concilii adhuc vigentem.

Julianus Pomerius, non Archipræsul Toletanus, ut vocat Auctor, sed Ecclesiæ Monasterii S. Michaelis Abbas, ut constat ex subscriptione Concilii XI. Toletani apud Aguirre, in suspicionem venit ob propositionem æquivocam, quæ videbatur propendere in hæresim, postea ab Elipando eructatam. Expostulatus apud Pontificem, egregie, & catholice eam explicavit, & suspicio incunctanter sublata fuit. In eandem suspicionem apud Patres Concilii Francofordiensis adducti fuerunt S. Ildephonsus, & S. Julianus Præsul Toletanus per fraudem ejusdem Elipandi quærentis suæ sectæ præsidium ab hujusmodi jamdiu defunctis viris sanctitate & doctrina conspicuis. Sed statim revolutis istorum libris

fraus

fraus detecta est, & auctores insontes probati sunt.

Opera Pici Mirandulani indiscreti homines conati sunt a censuris abstergere, & proscriptionem eludere. Laterem lavarunt, & proscriptio est in viridi observantia.

Quid proposito argumento; quid conglobatis exemplis nude recitatis, absque ratiocinii pondere, ex quo illucescat Auctoris intentum, quid difficultatis ad rem nostram objiciat, nullus conjicio. Abunde erat unum proferre, quo ostenderetur aut Pontificem, aut Concilium priorem retractasse finalem sententiam super facto dogmatico per errorem latam. Hoc est momentum quæstionis. Nequidquam deprehendit, ergo causa cadit.

§. XXXIII.

Iterum de Facto dogmatico.

ARguit eruditus (*a*) Auctor, quod data adhuc possibilitate erroris in Pontifice, & Concilio definiente super facto dogmatico, non proinde sequitur, erravisse Innocentium X. & Alexandrum VII. in

(a) Pag. 57. §. 2. 3. primi opusc. Anon.

in judicio lato super facto Janseniano, quia satis non est ostendere potuisse eos errare, nisi & illos re ipsa falsos esse probetur. Sed longe opinione fallitur, & fortasse fallitur, quia neque Clementinam Constitutionem *Vineam Domini* commemorare voluit. Si in facto dogmatico Pontifex errare potest, nullus ex debito Fidei adstringetur captivare intellectum in obsequium, quia fallibili judicio, esto aliquando veritatem aperiat, nullum debetur Fidei obsequium, nisi per accidens, ratione judicii obligantis. Quapropter Theologo decidenti quæstionem de Fide non credimus ex Fide divina, neque ut regulam Fidei vivam agnoscimus, sed ut non falsum probamus. De interpretatione Scripturarum, & de traditione Patrum eadem difficultas urget. Factum dogmaticum & istud est. At satisne est accipere judicium Pontificis, vel Concilii, quia non falsi judices sunt? Si ita est, evolare necesse est unum caput Fidei nostræ, nempe infallibilitatem sensus Sacræ Scripturæ, & doctrinam Patrum, ex infallibilitate Judicis, juxta illud Augustini: *Non crederem Evangelio, nisi me doceret Ecclesia*.

Audio Auctorem (*a*) dicentem : Ecclesia infallibilis est, quia Scripturæ, & Traditionis habet plenissimam intelligentiam. At in attribuendo sensum libri auctori suo, v. g. Jansenio, non item. Hæc, bona venia, est petitio principii. En urgens argumentum. In attributione erroris obvio sensui Jansenii intercedit fallibilitas Judicis, inquit eruditus auctor, quia hoc est de facto dogmatico. Igitur etiam in attributione sensus Scripturæ Sacræ Spiritui Sancto, vel sensus doctrinæ Patrum, Augustino, Hieronymo, & aliis, erit Ecclesia fallibilis judicii, quia pariter & hæc sunt facta dogmatica, Unde ergo habebitur Criterium pro certa interpretatione Sacræ Scripturæ, & Traditionis, si de medio tollitur infallibile judicium Ecclesiæ in facto dogmatico?

Ad hæc; sub aspectum subjiciam verba Clementis XI. in laudata (*b*) Constitutione *Vineam Domini*, dicentis, *& quinque illas propositiones ex libro præmemorati Cornelii Jansenii Episcopi Iprensis ...excerptas, ac in sensu ab eodem Cornelio Jansenio intento damnatas fuisse, declaramus, & definimus*. Si Pontificia definitio adhuc non captivat intellectum in ob-

(a) Pag. 59. ante med. (b) §. 9.

obsequium Fidei, sed dumtaxat non falsos fuisse Pontifices in facto Janseniano ostendit, ecce datum hominibus nunquam Ecclesiæ contradicendi finem facere, ut prosequitur Clemens; (a) *qui variis distinctionibus, seu potius effugiis ad circumventionem erroris excogitatis, Ecclesiam ipsam turbare, eamque interminatis quæstionibus ... implicare conantur*. Et demum mandat, ut eliminatis assertionibus, ac distinctionibus pravitatem, & errorem palliantibus, ore, & corde quilibet fidelis teneatur propositiones una cum sensu, & in sensu Auctoris in illis expresso damnare, ut hæreticas, & ut hæreticum sensum illarum rejicere debeat. Futilis itaque est altera erumpens distinctio, nempe ad supplendum fallibilis judicii defectum, sufficere, non posse Judicem falsum probari. Nonne hic modus loquendi retorquet certitudinem definitionis in experimentalem inquisitionem, & collationem judicii cum re definita? Nonne illuditur dogmaticæ Constitutioni, etiam si placet Gallis, ab universa Ecclesia acceptatæ?

Præterea do exemplum. Ecclesia Latina docet, & tenet, Spiritum Sanctum a

 Pa-

(a) §. 21.

Patre, Filioque procedere. Id ostendit ex Patrum traditione in Concilio Florentino. Ecclesia Græca (ut sibi blanditur) ex eadem traditione Filium ab activa spiratione arcet. In citato Concilio utraque pars doctrinam Patrum expendit. Peto, an discussionis diversitatem licuit referre ad non repertam falsitatem in dictis Patrum, an ad infallibile judicium Ecclesiæ in facto dogmatico, nempe in excussa doctrina, & sensu Patrum? Si primum, ut contendit Auctor, en definitio Processionis Spiritus Sancti a Patre & Filio certa quidem certitudine humana, neutiquam Fidei. Si secundum: ergo censenda est Ecclesia infallibilis judicii super facto dogmatico. Et quidem ne dum in facto dogmatico traditionis ex doctrina Patrum, & sensus, sed etiam in quolibet alio æque ac in facto Janseniano, quod gratis excipiebat Auctor, sed deinde & illud comprehendit. Utrobique enim agitur de judicio attributivo doctrinæ vel Patribus, si est pro Fide, vel hæreticis, si sit contra Fidem. Erit, audio, & est infallibilis in jure, sed non in facto eidem connexo. Respondeo, hanc quoque distinctionem damnare Clementem XI. in

lau-

laudata Constitutione, & recte. Traditio doctrinæ Patrum quid significat? Nisi Patres in suis libris hanc, vel illam doctrinam in sensu proprio explicatam, expressam, traditam reliquisse, sensumque auctorum in ea impressum agnosci? Si factum a jure distinguitur, & dividitur; en doctrina sine Auctore, en traditio sine teste, en jus sine auctoritate. Et hæc est illa Traditio, quæ est unum ex principiis firmitatis nostræ Fidei? Et hæc est traditio Patrum? Et hæc est unum ex præcipuis fundamentis, a quo derivat, & oritur Fidei definitio?. Doctrina infallibilis, sensus vero & Auctoris & libri sub principio fallibili? Quid aliud ad evertendam traditionem aptius excogitare possunt hæretici?

Ut aliquando hujus generis orationem concludam, liberius dicam, neminem absque gravi censura posse abjudicare a Pontifice, vel Concilio legitime congregato infallibilitatem judicii lati super facto dogmatico: distinctiunculas pravitatem foventes esse illas, quas adhibent indisciplinati homines ad declinandas definitiones Fidei, & esse prorsus tergiversationes fri-

volas ad favendum hæresi, & hæreticis excogitatas, adeoque jure fuisse, & esse damnatas, elisas, penitusque exinanitas per Constitutionem *Vineam Domini*: nec non auctoritati Pontificiæ illudere, qui eas refodere audet, sive ut factum Jansenianum refricare moliatur, sive ut quodlibet aliud factum dogmaticum tentet a jure secernere, & a definitivo judicio callide eripere conetur; & demum hujuscemodi conatus summum Fidei Ecclesiæque præsidium, nempe interpretationem Scripturarum, ac Patrum traditionem ab eadem Ecclesia eliminare, atque evertere, semel dato, quod admittatur fallibilitas super facto dogmatico. Ubi autem incaute nonnulli Scriptores in contrariam opinionem deflexerint, incomperta veritate, vel minus exacte perpensa ante Constitutionem *Vineam Domini*, defectum humanum passi sunt.

§. XXXIII.

§. XXXIII.

In idem argumentum .

POſtremo in ſui patrocinium quærit eruditus (*a*) Auctor quotquot in agitandis quæſtionibus de infallibilitate Romani Pontificis, ejuſdemque ſupra Concilia œcumenica auctoritate operam impenderunt, quia uno calculo definierunt, has quæſtiones ad Fidem non pertinere. Ad hujus rei argumentum affert teſtimonium Ven: Innocentii XI., qui anno 1679. dato Brevi epiſtolari ad Epiſcopum Benignum Boſſuet, plurimum probavit, ac laudibus exornavit adornatum Opuſculum adverſus Calvinianam procacitatem, eſto expreſſe idem clariſſimus Boſſuet declaraverit in dictas quæſtiones noluiſſe calamum implicare; *Quum ad Fidem Catholicam non pertineant*. In eodem ſenſu differentes quoſdam proceres Curiæ Romanæ ſolerter advocat, & producit.

Sed inutili incumbit labori: quia ultro datur, hucuſque de hujuſmodi quæſtionibus judicium definitivum deſiderari.

 At-

(a) Pag. 61. in med. & in iter. def. art. ult. pag. 144.

Attamen Apostolica Sedes omnino culpandos esse censet, qui ea privilegia Romano Pontifici detrahunt, & tum censurarum spiculis eos aggreditur, cum proscriptione librorum coercet, atque castigat. Neque laude honestasset Innocentius Benignum Bossuetum, si minus digne, ac minus integre de Romani Pontificis privilegiis fuisset loquutus. Cæterum de censuris injustis alibi constat.

Nunc ad minus subjiciam cauterium injectum ab eximio Theologo Amat de Gravesson Doctore Sorbonico contra illos, qui apologias texere, vel dicere audent adversus judicium latum super facto dogmatico. Inquit enim: (a) *Eos appellarem temerarios, superbos, & inobedientes. Temerarios, quia judicio lato refragrantur. Superbos dicerem, quia in hujusmodi factorum doctrinalium cognitione se se perspicatiores universa Ecclesia judicarent. Demum ceu inobedientes damnarem, quippe qui judicio Ecclesiæ, quæ in censura, & damnatione librorum Spiritus Sancti lumine ad eorum pravum sensum, erroresque cognoscendos illustratur, ac regitur, pervicaciter morem gerere de-*

(a) Tom. 1. hist. eccl. colloq. 2. in fin.

detrectarent. Quocirca jure optimo castigari deberet audacia quorumdam ... Sane si a judicio factorum doctrinalium ab Ecclesia lato semel impune resilire liceat, poterit quilibet pro omnibus hæreticis ab Ecclesia confixis apologias concinnare. Periclitabitur infallibilis Traditionis auctoritas, quæ pendet e sensu librorum SS. Patrum ab Ecclesia Catholica præfixo. Non poterit Ecclesia comprimere tumultus, & contentiones, quæ sæpius suboriuntur occasione sensus librorum, nec sanam doctrinam a falsa & noxia, quæ in libris continetur, certo valebit discernere. Ecclesiæ itaque judicio in factis doctrinalibus, tamquam sacræ anchoræ indivulse adhærere debemus. Et de hoc satis.

Dixi, & pro veritate dixi: non adulationis astu; non dissimulatione veri; non mendacii technis, ut verum cum falso confunderem, aut difficultates effugerem. Ita plane censuimus, dicendum esse, ne quum astruimus infallibilitatem judicii de rebus Fidei & morum, nec non de Facto Dogmatico, in Romano Pontifice, universam Ecclesiam pro suo munere, & officio docente: nec non ejusdem Pontificis superiorem auctoritatem Concilio adhuc

huc œcomenico, confestim omnia labefactare, ac destruere videamur, decidendo hanc eamdem auctoritatem, eumdemque Summum Pontificem coactum esse pendere a consilio peritorum, & necessario simpliciter indigere eorum consultatione, antequam ad definitionis actum procedat. Sed quod mirum videri cuilibet est, cuncta ab adversario confici opinantium arbitrio, itaut uni placeat unum cœtum Consulentium designare, alteri diversum; uni peritos quoslibet liceat constituere; alteri sibi delectos constituere; uni semel electos stabilire, alteri eosdem destituere, & alios substituere ac declarare; perinde ac si Petri Cathedra hominum placito sit dimissa, ut ejus regimen formetur, aut deformetur, si ad suam excogitatam regulam non conveniat, vel in apice dissentiat. Neque deest, qui ad instar Nabuchodonosoris velit consilium adunandum, de quo scriptum est: (*a*) *Vocavitque omnes Majores natu, omnesque duces, & bellatores suos, & habuit cum eis mysterium consilii, dixitque cogitationem suam in eo esse, ut omnem terram suo subjugaret imperio*. Et utique omnem terram subjugare-

(a) Judith. cap. 2.

rent, si suo hujusmodi opinantes Cathedram Petri subjicerent imperio.

Et qui estis vos, qui tentatis Dominum? (lubens (*a*) cum Judith exclamabo) quum Cathedram Petri hujusmodi opinationibus nunc instructam, nunc destructam conspicimus? *Non est iste sermo, qui misericordiam provocet, sed potius qui iram excitet, & furorem accendat.* Indignabatur generosa Judith, quia Ozias cum senioribus & populo oblitus Dei promissorum, atque beneficiorum spopondit tradere civitatem Assyriis. *Et dixit illis, quod est hoc verbum, in quo consensit Ozias, ut tradat civitatem Assyriis, si intra quinque dies non venerit nobis adjutorium?*

Mire ad rem nostram. Instituit Christus Petrum Summum Pontificem, Pastorem, ac Doctorem summum, quin scateat conditio, aut medium designatum tamquam simpliciter necessarium, ut pascat, & doceat actu. Missurum Spiritum Sanctum, ut doceret nos omnia, promisit Christus, & solvit. Petrus, ut Organum Spiritus Sancti docet res Fidei (*b*) & mo-

(a) Cap. 8.
(b) Act. 15.

morum, indictumque a Deo est populis, & gregi, ut audiat illum, & credat. Quid ultra tentatis Dominum? Quid ultra excogitatis, ut hanc Cathedram Petri tradatis hæreticis contemnendam, ac deridendam?

Ultro pergamus. Petrus alioquin sibi par ad decidendum super usu legalium, ut constat ex ejus data sententia, cui omnes omnino consenserunt, attamen cogit Concilium (a) Jerosolymis de verbo hoc loquuturus. Idem exemplum dedimus in Leone Magno. Quorsum hæc? Nisi ut discamus, adesse Ecclesiæ Christum, & in suis promissis fideliter persistere, mittendo Spiritum Sanctum, ut doceat & veritatem & modum definiendi. Quo fit, ut, citra necessitatem simpliciter talem, & dirigat Petrum, ut cogat Concilium ad ferendam de re conquisita sententiam, & assistat Sancto Leoni, ut adversus Eutychen judicium feiat per dogmaticam Epistolam.

Quid ultra tentatis Dominum? Per mille, & septingentos annos hac methodo directa est Ecclesia in veritate incorrup-

(a) Act. 15.

rupta, immobilis in Fide; adhuc quando, ex improba temporum conditione fuerat locus timori. Ubi autem in posterum ad omnes casus minime futuros, neque possibiles contremiscere est opus; perinde ac foret periculum in januis, ne scilicet Pontifex temere, ac errando pronunciet? Nequaquam est id possibile, quia Deus fidelis est. Docuit, & docebit usque in finem omnia; etiam si opus est impellendo Pontificem ad ea media comparanda, prout res Fidei postulat. Dono consilii ornatus discernet, si opus sit, consulentes adhibere, nec ne, more Petri, more Magni Leonis, ne arrogantia, præsumptio, vel error unquam admisceatur, & in Spiritum Sanctum resiliat.

Aget certissime Pontifex quod in se est, ex directione Spiritus Sancti, citra necessitatem ab opinantibus injectam; quum agendum illi erit ad doctrinam toti Ecclesiæ tradendam. Sed sibi minime blandiatur hoc simile promissum esse in cæteris, quæ ad definitionem ex Cathedra non collimant. Falleret hæc opinio. Ut doceat Pontifex omnia necessaria ad Fidem, adstiturus est Spiritus Sanctus, & quidem quum do-

docturus est tamquam Petrus Ecclesiam. In cæteris dimissus est Pontifex consilio suo, ut humana prudentia usus, consultationes requirat, consiliarios advocet. Et si quidquam dispensatoria œconomia agendum est, quod citra definitionem proponitur indulgendum, caveat Honorium imitari; caveat imprudenter rescribere, atque inconsulte, ne pœnam Honorii subire cogatur. Audiat amplissimos Cardinales a divina providentia dirigere delectos adsidentes, & consiliarios; audiat doctos, & si fas est doctissimos, ubi, & quando oportet, quia sic fecit Petrus, sic fecit Leo, cogendo Concilium; sic fecit Gregorius, cæterique doctiores Pontifices. Noveritque quo magis solutus est a necessitate, eo magis discere oportere, ut integerrimus sit Doctor, & Judex. Sed sit absolutus a vinculo necessitatis absolutæ utendi alieno consilio; non autem a convenientia consilii: de quo dixi, iterumque dico; si sit de medio conducente ad judicium finale Fidei & morum, Deus dabit, modo pluries explicato; si sit de cæteris negotiis, ab humanis viribus petat subsidium, mediis opportunis consultationibus.

His

His coactus exemplis non diffitetur Auctor, (*a*) posse aliquando contingere defuturum medium exquirendæ consultationis. Sed tunc ait ad extraordinariam providentiam spectare, ut *judicii infallibilitatem, extra ordinem, ac præter solitum largiatur*. Ecquis hoc in animum inducet doctissimum Leonem Magnum proprio labore ac studio condentem sententiam dogmaticam adversus Eutychen, nactum esse infallibilitatem, extra ordinem, præter solitum; verbo; miraculose; per extraordinariam providentiam? Quinam testis producitur? Ubi id legere est? Quænam alicujus ex Patribus, vel scriptoribus, a sæculo quinto usque ad hanc horam, sententia? Quæ animadversio, quæ cogitatio? Et nunc lubet ad extraordinariam providentiam, ad miraculum deducere promissam per Petrum, & in Petro specialem assistentiam Spiritus Sancti, quum docturus est universam Ecclesiam; ut absoluta necessitas petendi consilium nullo fulta argumento firmetur? Omnia tandem capita præsentis dissertationis verbis Augu-

(a) Pag. 51. init. & in iter. def. pag. 108.

Augustini concludamus: (*a*) *Nulli dubium est, gemino pondere nos impelli ad discendum; auctoritatis, atque rationis. Mihi autem certum est, nusquam prorsus a Christi auctoritate discedere; non reperio valentiorem.* Christus dixit soli Petro: *Pasce oves meas: Pasce agnos meos.* Et satis est. Idcirco monitum ejusdem Augustini pro Coronide subjiciam: (*b*) *Turbata est vestra inventio, jam tandem intentio corrigatur.*

F I N I S.



(a) Contr. Acad. l. 3. c. 20.
(b) Contra Julian. libr. 2. oper. imperfect. n. 205. in fin.

ERRATA:	CORRIGE:
Pag. 28.lin.13. confluatur	conflatur
Pag. 47.lin.19. queſtio	quæſtio
Pag. 47.lin.20. nempe ne	nempe an
Pag. 50.lin. 9. aſſeruir	aſſuit
Pag. 74.lin. 1. ut non ſit	ut ut ſit
Pag. 74.lin.23. fuerat	fuerant
Pag. 79.lin. 7. ex Bernardo	Ex D.Bernardo
Pag. 87.lin.20. pro orbem	per orbem
Pag. 87.lin.21. per conſilio	pro conſilio
Pag.118.lin.10. ed quibus	de quibus

REIMPRIMATUR.

Fr. Silveſter Martini Ord. Prædic. Inquiſitor Generalis Mediolani &c.

Franciſcus Curionus pro Eminentiſs. & Reverendiſs. D. D. Card. Archiep.

Attenta adverſa valetudine Egregii Provincialis Carlii Berſanus pro Excellentiſſimo Senatu .







